Περὶ εὐχῆς

Veterum de precibus sententiae

DISSERTATIO INAUGURALIS
quam ad summos in philosophia honores
ab amplissimo philosophorum ordine Marpurgensi
rite impetrandos

scripsit

Henricus Braune
Theotmallensis

Marpurgi Chattorum 1935
Typis Joh. Hamel

Marburg 1935

Ad philosophorum ordinem de probanda dissertatione rettulit Ernestus Lommatzsch.

Examen rigorosum habitum est a. d. XIV Kal. Jan. MCMXXXIV.

Dissertationem ex auctoritate ordinis typis mandatam esse testatur

Gualtherus Mitzka
h. a. decanus.

R. UNIV. BIBLIOTHEEK LEIDEN

Parentibus carissimis

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41554410_0054

Dispositio.

Tabula librorum, quos saepius laudavi.

A p p e l, C.: De Romanorum precationibus. RGVV. 7,2. Gießen 1909.
A u s f e l d, C.: De Graecorum precationibus quaestiones. Jahrb. f. kl. Phil. Suppl. 28, 1903, p. 502 sqq.
B e t h, K.: Religion und Magie. Berlin—Leipzig 1927.
H e i l e r, Fr.: Das Gebet. 3. Aufl., München 1921.
H e r m a n n, K. Fr.: Lehrbuch der griech. Antiquitäten. II. 2. Aufl. Heidelberg 1858.
K e r n, Otto: Die Religion der Griechen. I. II. Berlin 1926. 1935.
L a s a u l x, E. v.: Gebete der Griechen und Römer. Stud. d. kl. Alt. 1842, p. 137 sqq.
N o r d e n, E.: Agnostos Theos. 2. Aufl., Leipzig 1913.
P f i s t e r, Fr.: Die Religion der Griechen und Römer. Burs. Jb. Suppl. 229, 1930.
R a d e r m a c h e r, L.: Die Wahl der Lebensgüter. Wiener Studien 47, 1929, p. 79 sqq.
S c h m i d t, H.: Veteres philosophi quo modo iudicaverint de precibus. RGVV. 4,1. Gießen 1907.
S c h m i d t, L.: Die Ethik der alten Griechen. Berlin 1882.
S c h o e m a n n, G. F.: Griechische Altertümer. II. 4. Aufl., Berlin 1902.
S c h w e n n, Fr.: Gebet und Opfer. Rel. wiss. Bibl. 8, Heidelberg 1927.
S t e n g e l, P.: Griechische Kultusaltertümer. München 1898, p. 71 sqq.
S u d h a u s, S.: Lautes und leises Beten. ARW. 9, 1906, p. 185 sqq.
U s e n e r, H.: Götternamen. Bonn 1896.
V o u l l i è m e, E.: Quo modo veteres adoraverint. Diss. Halle 1887.
W i l a m o w i t z - M o e l l e n d o r f f, U. v.: Der Glaube der Hellenen. I. II. Berlin 1931—32.
W i s s o w a, G.: Religion und Kultus der Römer. 2. Auflage, München 1912.
Z e l l e r, E.: Die Philosophie der Griechen. 5. Auflage, Leipzig 1923.
Z i e g l e r, K.: De precationum apud Graecos formis quaestiones selectae. Diss. Vratisl. 1905.

Praefatio.

Omnibus temporibus homines se ex potentia deorum caelestium pendere putabant, qua de causa multis modis deos ob metum venerabantur atque colebant. Si autem homines periculis opprimebantur, eos adibant, ut sibi auxilium mitterent. Ab antiquis hominibus deos esse et preces valere credi, certum hoc afferri posse videtur, quod iam in carminibus Homeri saepe numero nonnulli ad precandum provocantur[1]). Per omnia saecula antiquorum temporum videre possumus, quo modo similiter homines deos invocent et precationes necessarias esse putent[2]). Quod quaeritur[3]), utrum precibus homines sortem meliorem reddere possint an non, quodque mortales admonentur, ut sibi ipsis fidant et se voti compotes facere possint, si velint, in hac dissertatione silentio praeterire possum, quod hac in re preces non iam insunt.

Saepe autem homines doloribus et calamitatibus oppressi tum demum deos esse et sibi auxiliari posse putant[4]). Imprimis homines, priusquam novas res agunt, deos advocandos esse discunt[5]). Deus homines ducat et constituat, quid faciant[6]), cum ut censet Ammonius, singulae res expeti non possint, quod dei exitum non cognoverint[7]).

---

1) Η 193 sqq; Ζ 111 sqq; 240 sq; γ 43 sqq; ω 517 sqq. Multos alios locos Pat. Joh. Thom. Beckmann (Das Gebet bei Homer. Diss. Würzburg 1932) commemorat. Deum ipsum homo quidam adhortari potest, ut deum alium sibi deprecetur (A 394 sqq).

2) Nonnullos modo locos precandi conferam, ut adhortationes omnibus temporibus apud poetas scriptoresque fuisse ostendam: Herod. 7, 120; Aesch. choeph. 212 sqq; Soph. Ai. 684 sqq; Eur. Alc. 250 sq; Aristoph. Thesm. 295 sqq; Hippocr. περὶ διαίτης 4, 89 (ed. Littré VI p. 652); Xen. comm. 2,2,14; Plat. Phil. 25 B; rep. 4,432 C; Demosth. 20, 49; Verg. Aen. 3,435 sqq; Philo sobr. 64. De invocationibus poetarum apud Romanos ad Musas et alios deos factis cf. Fr. Knickenberg, De deorum invocationibus quas in componendis carminibus poetae Romani frequentant. Diss. Marp. 1889.

3) Sen. epist. 31,5; 41,1; Stat. Theb. 9, 546 sqq; Juv. 10, 363; Plut. Stoic. absurd. 4 p. 1058 C.

4) Diod. 23, 13 al.

5) Zal. et Char. apud Stob. 4,2,19 p. 123 sqq W-H. et 4,2,24 p. 149 sqq W-H.; Aristoph. ran. 885; Xen. comm. 4,4,19; Procl. in Plat. Tim. 66 E; Plin. paneg. 1,1 sqq; Arr. venat. 34; 35; Jambl. V.P. 1,2; et homines a precibus incipiunt (Dem. orat. 18; cf. W. Schmid, Das Proömium der Demosthenischen Kranzrede in religionsgesch. Bedeutung. ARW. 19, p. 273 sqq; Plut. Pericl. 8,6; praec. ger. 8; Val. Max. 1,2,2 sq). Et ii, qui omnia cum dis incipiunt, ab iis adiuvantur (Xen. exp. Cyr. 6,3,18).

6) Cleanth. fr. 527 (I p. 118 v. A.).

7) In Aristot. de interpret. 108 r (ed. Busse, p. 134,7 sqq).

Sed si quid expetimus, ita nobis agendum est, ne res impetratas nostro vivendi modo amittamus[8]). Quamquam saepe homines se bonas preces sibi aut aliis fecisse putant, tamen preces malae fuisse possunt[9]). Quae cum ita sint, homines, quibus a dis optationis facultas data est, incaute aliquas res cupiunt[10]).

Breviter locos nonnullos commemorem, quibus antiqui preces definire conantur, antequam optationes ipsas respicio. Primum moneam, quibus verbis Suidas preces exposuit[11]). Demosthenes autem definivit, quid precatio esset: nisi id, quod leges pulchrum et bonum commendarent, effici posset, precationem esse oportere[12]). Et divinum, ut Iamblichus putat, quod in nobis occultatum est, precibus excitatur[13]), cum Porphyrius in consolatione ad Marcellam scripta[14]) precationem verbum inane hominis temerarii nominet. Preces et cognitionem rerum divinarum in aequo positas esse invenimus in comm. Procli in Platonis Timaeum scripto[15]); in precibus autem ipsis nihil esse ambiguum debere Servius dicit[16]). Postremo Plotinus preces earumque vires in consensu, quem una cum rebus habent, positas esse intellegit[17]).

Quid igitur hominibus expetendum sit, aut quae res expetendae aut bonae sint aut malae, philosophi mente agitant. Omnibus

---

8) Hierocl. in carm. aur. p. 466 B 2 sqq Mullach (Fr. philos. Gr. I).

9) Sen. epist. 32,4 sq; 60,1; 61,1 sqq; 94,53 sq; benef. 2,14,1; cons. ad Helv. 5,6 al.

10) Phaedr. App. 3 Riese; Romul. 42.

11) Suid. II p. 480 nr. 3819 ed. Adler: Εὐχαί: αἱ ὑποσχέσεις. Τὰς ευχάς μου τῷ κυρίῳ ἀποδώσω (Ps. 155,5). Εὐχὴ γὰρ ἐπαγγελία θεῷ τῶν κατ' εὐσέβειαν ἀφιερουμένων, προςευχὴ δὲ δέησις μετὰ ἱκετηρίας τῷ θεῷ προσαγομένη. cf. causas precandi, quas apud Philonem invenimus: καθ' ἱκεσίαν κακῶν ἀποτροπῆς ἢ κατ' εὐχαριστίαν μετουσίας ἀγαθῶν ἢ κατὰ ἀμφότερα (quis rer. div. her. 15) et cf. spec. leg. 1,194 al. Etiam Iamblichus nominat species precum, et tres quidem (myst. 5,26), cum Proclus (in Plat. Tim. 65 F sq) alio modo disponat. Quattuor species, scilicet obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones Ioannes Cassianus (conl. 9,9,1 al.) enumerat. Et Origenes nomine εὐχή preces ipsas et vota comprehendit (orat. 3,2); quae quo modo discernantur, Gregorius Nyssenus (orat. 2,724 D) nobis ostendit, quarum primum votum semper fieri opus est (orat. 2,724 D). Adde Fr. Pfister 1. c. p. 194 sq: "So dient das Gebet ursprünglich: 1) einer magischen Zwangshandlung .... 2) das Gebet wirkt apotropäisch .... 3) die sakramentale Wirkung des Gebetes ... 4) der euergetische Zweck des Gebetes ...."

12) or. 24,68.

13) myst. 1,15.

14) cons. ad Marc. 12.

15) in Plat. Tim. 65 B.

16) ad Aen. 7, 120.

17) enn. 4,4,26; 4,38; 4,4,40 sqq. Breviter dicam, quid scriptores ecclesiastici ad hanc quaestionem attulerint. Tertullianus primus scripsit in cap. 29 libri de oratione: "Sola est oratio, quae deum vincit", et Clementi Alexandrino oratio est ὁμιλία πρὸς τὸν θεόν (strom. 7,7,39; 7,12,73), qui etiam infirmos homines et aliis et sibi ipsis oratione nocere posse dicit (strom. 7,7,44). Et vi quidem precum homines adiuvantur (orat. 1,713 C).

temporibus alteri virtutem et verum bonum appetunt, alteri res externas, quibus sibi ad vivendum opus esse putant[18]). Iam Prodicus sophista, discipulus Protagorae, indoles animasque hominum in fabula Herculis ad bivium venientis nobis nominat[19]), in qua fabula Herculem virtutem delectu habito nequitiae praeponentem inducit. Etiam in epistula tricesima, quae Diogeni Cynico[20]) falso attribuitur, viae duae, quae homines ad beatitudinem ducunt, velut ad arcem Atheniensium, describuntur; quarum altera brevis est et abrupta et difficilis, altera longa et plana et facilis. Qui autem ad beatitudinem pervenire studeat, illi vel per ignes atque enses est incedendum[21]). Item apud Hesiodum[22]) duas vias, quae in montem ducunt, et quae aut nullo labore malitiam aut difficulter et aegre virtutem praebent, invenimus. Accuratissima autem imago viarum, quae hominibus eligendae sunt, in tabula Cebetis effingitur. Item Epicurus[23]) cupiditates diversas novit, alteras nominat naturales, alteras inanes, quarum primarum rursus alterae necessariae alterae modo naturales sunt. Cupiditates necessariae autem spectant et ad beatitudinem et ad otium corporis et ad vivendum ipsum[24]).

Quod omnes optationes et cupiditates hominum ad duas res, quae sunt et virtutes bonumque et commoda vivendi, pertinere videmus, altera pars dissertationis, quae id spectat, quid expetendum sit et re vera expetatur, hoc modo disponitur. Prima in parte autem videbimus, qua ratione homines preces ad deos mittere et quo modo in precibus se gerere deceat. Deinde in altera parte, primum quid precari antiqui docuerint, — virtus sola hominibus exoptanda est, — intellegamus; tum optationes hominum maxime in usu vitaque communi ad commoda mediocria, quae aut sibi ipsis aut aliis expetunt, pertinere neque virtutes et bonum, quod eis verum est, peti cognoscamus. Saepe insuper perspicere possumus eas res, quas homines expetunt, eis rebus, quas agunt, contrarias esse.

---

18) Lucianus (nav. 16) homines optationibus, quas velint, cognosci posse dicit. Ita hominibus preces steriles et inutiles ad deos mittendae non sunt, imprimisque eis non sibi ipsis precandum est (cf. Cypr. orat. 8;32).

19) Xen. comm. 2,1,21—34. cf. Joh. Alpers, Hercules in bivio. Diss. Gott. 1912, et Franz Riedl, Der Sophist Prodikos und die Wanderung seines "Herakles am Scheidewege" durch die römische und deutsche Literatur. Progr. Laibach 1908.

20) W. Capelle, De Cynicorum epistulis. Diss. Gott. 1896.

21) epist. 30 p. 244 sq. Hercher et ep. 37,4 p. 252.

22) op. 287 sqq. (cf. Simonid. fr. 37 D.).

23) epist. 3, 127.

24) Alios locos, in quibus ab artibus diversis, quae divina specie induuntur, hominibus eligendi arbitrium permittitur, quid suscipere velint, in antiquis scriptoribus invenimus. cf. Aristoph. nub. 889 sqq; Ov. am. 3,1,11 sqq; Sil. Ital. 15,18 sqq; Luciani somnium. V. etiam Otto Hense, Synkrisis in der antiken Literatur. Univ. Rede, Freiburg 1893.

In sequentibus tractationibus spectabo omnes locos, in quibus verba precum ipsa et relationes, quae verba de precibus et de modis precum faciunt, inveniuntur. Itaque in universum quaestiones omnes omittam, utrum de precibus vel deprecationibus agatur an de optationibus, quae videntur, agi possit. Etiam formae precum in hoc ordine nullius momenti erunt neque disputabo, utrum loci, qui nobis propositi sunt, vetustiores sint an recentiores. Privatae autem preces, quod facile ex ipsa rerum natura consequitur, anteponendae sunt. Item dei adorati mihi universe explicandi non sunt.

I. Qua ratione homines preces ad deos mittere debeant.

1a) Homines cum dis pactionem faciunt aut dis dona dant, ut ipsi accipiant, aut vota faciunt.

Primo capite prioris partis cognoscamus, quo modo hominibus ad deos eundum sit, quid antiqui de hac re cogitaverint, ut Seneca[1]) dicit: "Quo modo sint di colendi, solet praecipi" aut Iamblichus[2]) quaerit, quo modo invocentur, ut hominibus inferiores sint. Euthyphro Platonicus[3]) homines propter pietatem scire posse putat, quo modo aliquid a dis petendum aut dis donandum sit. Consentaneum est eos exoptare ea, quae nobis opus sunt, et clara voce, quae dis iucunda sunt.

Et simplices sunt preces et saepe dei admonentur iam prioribus temporibus illos hominum preces exaudisse aut dona accepisse et officia deorum in homines etsi verbis non expressa per sacrificia exprimuntur. Aut una cum precibus dona promittuntur, ut obstringantur. Homines aliquid dant, ut aliud accipiant, quam rem "do ut des" nominamus[4]). Iam in carminibus Homeri tales preces invenimus[5]). Carolus Ausfeld[6]) formam pactionis inter deos et homines factae pro certo sumit, quasi dei officio quodam obligentur, ut precantes audiant. At contra Beckmann[7]) subtilior est. Nam primo magno numero precum, in quibus optationes argumentis non confirmantur, ostendi posse putat, non

1) epist. 95,47.
2) myst. 4,1.
3) Euthyphr. 14 C sqq, cum scriptores christiani deum solum docere potuisse, quo modo adorari vellet, sentiant (Tert. orat. 9; Cypr. orat. 2; Greg. Nyss. orat. 1,712 C). Recta iustaque ratione precandi optationes assequi possumus (Greg. Nyss. orat. 1,716 D).
4) cf. G. van der Leeuw, Die do-ut-des Formel in der Opfertheorie. ARW. 20, 1920/21, p. 241 sqq, qui opinionem specialem de his rebus habet.
5) Z 305 sqq; γ 58 sq; 380 sqq.
6) l. c. p. 525 sq; similiter W. Nestle, Griechische Religiosität bis Pindar und Aeschylus. Berlin 1930, p. 40.
7) l. c. p. 45 sqq.

geri unam rem, quam breviter "do ut des" supra nominavimus[8]). Quo loco autem preces argumentis confirmentur, homines et deos obligari, ut alteri sacrificia faciant, alteri precantes audiant, et homines sibi iure res petitas deposcere posse. Tum inter has duas condiciones mediam esse, in qua vindiciae verbis non exprimantur, sed cum sacrificio coniunctae adsint. Sed Schwenn et Nestle[9]) dicunt non multum afuisse, quin homines imperio deorum obnoxii non essent; putant enim homines indigne ex arbitrio deorum non omnino pendere. Tamen sententiam a verbis ab utroque viro dictis diversam proferre debeo. Nam libere, ne dicam, superbe ac insolenter, ii homines precantur, qui preces deis invitis offerre possint, quod fieri non potest. Ad hoc Ziegler[10]) dicit: "Etenim posteriore aetate crebrior fit optativi in precibus usus, quoniam religiosius tunc et humiliore animo precari solent homines nec iam imperare dis audent, sed optare suppliciterque eos implorare, quam quidem sententiam inesse in optativo non est, quod explicemus." Quam ad quaestionem Beckmann[11]) tabulam fecit, unde cognosci potest in Iliade multo plures imperativos esse modos quam optativos. Aliter res se habet in Odyssea[12]).

Apud Graecos poetas lyricos et Aesopum paucos locos, in quibus dona dis pro beneficiis petitis promittuntur, habemus[13]). Aeschylus[14]) ostendit, quo modo Eteocles animos deorum votis movere conetur et Orestes Iovem moneat, qua pietate pater eum coluerit. Similiter in "pace" Aristophanis Mercurius admonetur porcorum acceptorum[15]) et alio loco homines deo promittunt se multis modis eos veneraturos esse[16]). Vulgari ratione Philocleo se deum cogere posse putat spondens se nunquam postea mincturum neque pediturum esse ad eius saepes[17]). Etiam apud oratores Atticos cognoscimus homines deos precibus votisque commovere

---

8) Similes sunt formulae, quibus dei admonentur, quanta dona ab hominibus acceperint (Hom. δ 763 sq; Herod. 1,87; Aesch. Eum. 106; Soph. El. 1376 sqq; Aristoph. pax 385; Lys. orat. 2,39; Ov. met. 8,350 sq).
9) Schwenn, l. c. p. 54 et Nestle, l. c. p. 38.
10) l. c. p. 11.
11) l. c. p. 50.
12) Denique breviter admoneam iam antiquissimis temporibus viros doctos de Homeri precibus iudicavisse. cf. imprimis Protag. ap. Aristot. poet. 19, 1456 B, 15; Max. Tyr. diss. 11,3; 11,7; Porph. epist. ad Aneb. 5; epist. ad Marc. 16; Iambl. myst. 8,8.
13) Anacr. 105 D.; Alcm. 24 D.; Bacch. 10 (11), 95 sqq; Aesop. 49; 58; 205; 315. Dei homines, qui maxima dona dederunt, multis beneficiis afficiunt (Bacch. 3,61 sqq).
14) sept. 271 sqq; choeph. 246 sqq. Haud scio an ab Electra Sophoclis insciente fiat, ut obiciendo, quanta deo iam dederit, eundem sibi obligare voluerit (El. 1376 sqq).
15) pax 385. cf. Herod. 1,87, quo loco etiam deo donum in memoriam revocatur.
16) pax 390 sqq; 400 sq.
17) vesp. 389 sqq.

conari[18]). Plato autem nobis dicit deos donis non commoveri ut feneratores, etsi homines putant[19]); quae cum omnia ita sint, pietas nihil est nisi commercium deorum hominumque[20]). Homines autem putant sacerdotes quidem precibus bona accipienda exoptare posse[21]). Sacrificiis promissis aut verberibus minandis homines, quos Theocritus nobis ostendit, deorum animum convertere conantur[22]).

Talia apud Romanos scriptores plurima exempla invenimus[23]). In carminibus Ovidii ter[24]) precibus certum modum fieri invenimus primum "si te coluique coloque", deinde "si di dare cuncta potestis", tum "si fas est homini cum Iove posse loqui", atque iussum auxiliandi, quod deus sit "criminis auctor"[25]) atque etiam preces, quas impetrari "sub certa condicione"[26]) positum est. Persius aures deorum ab hominibus emi indignatur[27]). Item condiciones[28]), quando dei tueantur, in precationibus leguntur. Sed etiam apud scriptores Graecos posterioris aetatis vota — quod mirandum non est — legimus[29]). Lepidissime Lucianus Iovem nobis ostendit dubitantem, quid faciat, quod duo homines contrarias res petiverint, easdem autem res voverint[30]). Nam

18) Demosth. orat. 63, 12; 20, 49; Din. orat. 1,64.
19) leg. 885 B; 888 C; 905 D; Alc. II 149 E. Et cf. Porph. abst. 2,14,15 et Stob. 3,3,42 p. 207 sq W-H.
20) Euthyphr. 14 D sq.
21) pol. 290 C.
22) epigr. 4,13 sqq; idyll. 7,103 sqq.
23) Nonnulla exempla afferam, quod omnia inter se consentiunt: Cato agric. 83; Pompon. Atell. 51 sq; Catull. 4,22 sqq; Verg. georg. 1,434 sqq; Aen. 9,621 sqq (cf. Hch. Lehr, Religion und Kult in Vergils Aeneis. Diss. Gießen 1934, p. 24 sq); Horat. sat. 2,3,288 sqq; carm. 3,29,57 sqq; Ps.-Tib. 3,3,1 sq; Ov. fast. 5,573 sqq; Liv. 1,12,5; Sen. nat. quaest. 2,37,2; Petron. 85 sqq; Stat. Theb. 2,736 sqq; Mart. 12,90; Plin. paneg. 67,3,8; Iuv. 13,232 sqq.
24) met. 8,350 sq; 10,274 sqq; trist. 5,2,45 sq. cf. etiam formulam ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ saepe apud Hesiodum (in hymn. ad Hecatam) et Platonem scriptam; quod illa formula in precatione "Phaedri" (279 B) non est, E. Bickel (Platonisches Gebetsleben. Arch. f. Gesch. d. Philos. N. F. 14, Berlin 1908, p. 553 sqq) putat patientiam omnia, quae deus vult, perferendi expressam non esse. Quae ego quidem mente comprehendere non possum; nam etiam aliae precationes in Platonis dialogis sunt, quae illis verbis carent. — Precationes ipsae bonum accipiendi maxime in dialogis, qui Platonis non sunt, inveniuntur. Quas mentes et cogitationes homines in precando habeant, imprimis magni momenti est.
25) met. 15,38 sqq.
26) fast. 4,317 sqq.
27) 2,29 sq.
28) Plin. paneg. 68,1; 72,3; 94,5; res publica cum dis pactionem fecit, qua constitutum est, ut principem servarent, cum ipse etiam cives tueretur, nisi id fieret, ut optationibus, quae palam non dicerentur, traderent.
29) Polyb. 9,6,3; Diod. 13,102,2; Plut. Fab. Max. 4,6; Orig. orat. 3,1.
30) Icarom. 25 sqq.

sacrificiis factis dei se obligatos esse sentiunt[31]), etiamsi homines — ut Iuppiter putat — non deos colunt, ut commoda adipiscantur, sed ut eos honoribus afficiant[32]). Tamen precibus plurimae res efficiuntur[33]).

Qua de causa potestas deorum neglegenda non est ipsique verecundia adhibita colendi sunt. Quotiens homines nesciunt, quem ad deum se convertant, ut Antigona, quae conqueritur, quod propter pietatem impia facta sit[34]). Neque longius mihi explicandum est — quod multi doctissimi viri fecerunt — nomina deorum vim solam habere, si recte adhibentur[35]).

Deinde alia ratio cognoscenda est, qualem per vim dei plane sine ulla exceptione cogantur, ut aliquid faciant. Quo modo ars magica, quae dicitur, cum precibus cohaereat, quae nobis traditae sunt, hoc loco cognosci opus non est. Nestle[36]) dicit deorum, quos Homerus inducit, benevolentiam hominibus conciliandam esse, precibus cantiones magicas excedentibus neque disciplina magica cogente. Neque Schwenn[37]) Homerum artem magicam cognovisse putat. Tamen uno loco, quo sanguis Ulixis vulnerati cohibetur, quin incantatio sit, dubium non est[38]). Atque etiam Hedén[39]) cogitationem rerum divinarum apud Homerum omnino obscuritate vacare putat, nonnullos locos autem antiquiores magicosque putari posse ut Δ 363. Versus H 193 sqq Hedén ostendere vult reliquias fidei obsoletae esse, qua nobis vis magica verbi in memoriam revocatur. Vim magicam quandam apud Herodotum cognoscere possumus, qui uno loco magos tempestatem inferiis carminibusque magicis tranquillare narrat[40]). Nemo ex sententia Sophoclis et Euripidis deos cogere potest, ut id, quod vult, faciant[41]); qua de causa Sophoclem deos voluntati hominum, quae forsitan magica nominari possit, oboedientes non habere sentio. Plato multos homines carminibus magicis et precibus benevolentiam deorum sibi conciliare conari dicit[42]); etiam vates

31) Lucian. Tim. 7; 9.
32) Lucian. Iupp. conf. 7.
33) Phot. 251 ed. Becker, p. 465 a, 17 sqq.
34) Soph. Ant. 922 sqq; al. Cic. Quinct. 94; Hor. carm. 1,2,25 sqq.
35) Stat. Theb. 1,716 sqq; Orig. Cels. 1,6 al. et cf. Wilh. Schmidt, Bedeutung des Namens in Kult und Aberglauben. Progr. Darmstadt 1912.
36) l. c. p. 38 sq.
37) l. c. p. 53.
38) τ 457. Pind. Pyth. 3,51: etiam incantatione vulnera sanantur. Item Schwenn, l. c. p. 31, ius iurandum Agamemnonis nihil aliud nisi devotionem effascinantem habet.
39) Erik Hedén, Homerische Götterstudien, Diss. Uppsala 1912, p. 10 sq.
40) 7, 191. Hoc loco ad papyros Graecas magicas delegem, quae innumerabilia exempla dant. Quod autem, ut supra iam breviter dictum est, artem magicam cum nostra quaestione coniungere nimis longum est, tales precationes neglego.
41) Soph. O. R. 280 sq. cf. Eur. Hipp. 477 sqq.
42) leg. 10,906 B.

vires divinas possidere, ut carminibus scelera expiare possint, quod potestatem dis persuadendi habeant[43]). Testes sibi poetas esse, ut Homerum ipsum dicere deos regi posse[44]). Tamen deos carminibus et artibus magicis commoveri non posse constat[45]), quam sententiam etiam Menander habet[46]), qui eum virum, qui per cymbala deos cogat facere, quod velit, maiorem et superiorem dis esse dicit; quae omnia esse artes mendicorum insolentium. Incantationes magicae et obsecrationes amoris apud Romanos potissimum inveniuntur[47]).

Ita iam antiquissimis temporibus, quae quidem cognoscere possimus, duo maxime inveniuntur genera, quo modo homines ad ea, quae deos orent, perveniant, partim eis rebus, quae commercia nominari possunt et quarum altera forma est votum, partim eo modo ut deos vi obscura magicaque[48]) cogant. Hoc ultimum genus haud dubio vetustissimum est, nam in eo vilior sententia de dis ostenditur.

b) Corpore puro et animo pio preces faciendae sunt et sacrificia κατὰ δύναμιν.

Si quaeritur, qualis animus hominum esse debeat, ut oculis deorum apparere possit, primum dicendum est, quod ab antiquis scriptoribus semper semperque praescribitur, hominibus et puro corpore et pio animo ad precandum eundum esse[1]). Nam puris moribus dei magis gaudent quam precationibus pulchre factis[2]). Ita etiam verba eius modi esse debent, quo modo corpus et animus, quod ii, qui pio animo orant, a dis audiuntur, ut iam Pindarus dicit[3]). Et preces modestae simplicesque dis gratae sunt[4]), sed stultae irridendae[5]).

43) rep. 2,364 B sqq.
44) I 497 sqq.
45) leg. 10, 909 B.
46) fr. 245. Alios locos magicos habemus: Theocr. 2,10 sqq et Plot. enn. 4,4,38; 4,40.
47) v. Ivo Bruns, Der Liebeszauber bei den aug. Dichtern. Vorträge und Aufsätze. München 1905, p. 321 sqq.
48) v. Karl Beth, Religion und Magie. Berlin, Leipzig 1927.
1) Stoic. ap. Cic. nat. deor. 2,71 sq.; leg. 2,24; Ov. epist. 6,73; Liv. 5,22,4 sq; Sen. epist. 87,21; benef. 1,6,3; nat. quaest. 3, praef. 13; fr. 123; Petron. 44; Sil. Ital. 7,77; Epict. man. 31,5; Poemandres 1,31.
2) Plin. paneg. 3,5; Porph. abst. 2,61 (Jambl. myst. 1,12).
3) Pind. Ol. 8,8 sqq. Qua de causa homines in precibus, quibus caelestes offendi possint, deos monent, ne sibi suscenseant (Ol. 13,24 sq; Pyth. 10,17 sqq).
4) Ov. epist. 9,35 sq; trist. 3,8,17 sqq; M. Aur. 5,7.
5) Lucian. sacrif. 1.

Iam Hesiodus Persen fratrem adhortatur[6]), ut semper se castum purumque dis praestet[7]). Item Theophrasto nihil antiquius est, quam ut homines cum corpore puro et anima a vitiis pura in templa eant atque casti cogitent de sanctis rebus, ut inscriptio, quae ad templum Epidauri est, dicit[8]). Immo vero in praefatione legum ad deos modo τῇ ψυχῇ καθαρᾷ venire constitui Zaleucus vult[9]) et Pythagorae in precibus purum esse corpore et animo placet[10]). Quam anxie praecepta corporis puri observata sint, ex multis locis cognoscimus[11]). Etiam Cicero se Romanum religiosum praebet, quod sacra neque manibus neque cogitatione violare licere dicit[12]). Item Numa in cultu deorum a rebus, quae ad religionem non spectant, liberatus erat, ut nobis Plutarchus[13]) cum Pythagora, qui semper ad deum adeundum se praeparabat, comparans narrat.

Xenophanes in elegia quadam gaudia convivii describit, sed cum gaudiis coniungit adhortationem primo laudes dei canendi verbis religiosis purisque et optandi ea, quae sequentibus verbis[14]) explicat:

> . . . . . . τὰ δίκαια δύνασθαι
> πρήσσειν· (ταῦτα γὰρ ὦν ἐστι προχειρότερον).

Severe atque honeste igitur Xenophanes de precibus iudicat. Id a dis petendum est, ut iustum fiat. Estne id certum argumentum, Xenophanem honestum castumque esse, quod statim proximo versu insolenter et integre dicere potest, hoc modo precantem sine peccatis aliquid bibere posse? Carolus Reinhardt[15]) recte ostendit eum precantes imprimis docere velle, quo modo, non quid, petendum sit. Id quod Xenophanes, ut a dis petatur, admonet, usu non receptum est: τὰ δίκαια δύνασθαι πρήσσειν. Hesiodus[16]) autem simpliciter docet preces praecipue agricolis et pectore intimo ad deos mittendas esse, si messem magnam sibi optant.

---

6) op. 337.
7) op. 724 sqq, quibus versibus admonet, ne quis mane dis vinum libet illotis manibus, quod dei preces abnuere possint; in vs. 737 sqq. dicit, si quis flumen transiturus sit, eum ad flumen precari debere et manibus quidem in eo lautis. cf. v. Wilamowitz-Moellendorff, Hesiodos Erga. Berlin 1928 ad locum.
8) Porph. abst. 2,19.
9) Stob. 4,2,19 p. 123 sqq W-H.
10) Diod. 10,9,6.
11) Plaut. rud. 694 (cf. Marx ad loc.); Pers. 2,15 sq; Philo ebriet. 130.
12) Verr. 5,99; dom. 140.
13) Numa 14,4 sq; 12. Quin homines sine exercendo recte iusteque precentur, fieri non potest (Epict. diss. 3,12,5). Item Ioannes Cassianus (conl. 9, 3,1) homines optantes externas res et negotia animo comprehendere non vult. cf. Tert. orat. 12; 13.
14) 1,15 sq. D.
15) Karl Reinhardt, Parmenides und die Geschichte der griechischen Philosophie. Bonn 1916, p. 127 sqq.
16) op. 465 sqq.

Quamquam dei non tantum dona magna aestimant[17]), sed animum hominum, tamen Bacchylides[18]) laudat Hieronem, quod deos magnifice colit. Etiam Xenophon[19]) homines prudentes sacrificia precesque facere, ut fructus et pecudes bene proveniant, commemorat. Atque Ischomacho divitiae, quas precibus impetravit, curae sunt, quod iucundum sit et deos magnifice venerari et amicos adiuvare et rei publicae honori esse posse per divitias, quod ultimum Socrates quoque pulchrum officium putat[20]). Si quis Hesiodum legerit, ei manifestum est poetam cum lege veri rectique coniunctissimum esse, quae prudentibus naturalibusque praeceptis "operum et dierum" aperiuntur: pro viribus — graece κατὰ δύναμιν — sacrificia facienda esse[21]). Quibus ex verbis apparet fieri non posse, quin pactione facta res aliquae inter deos hominesque mutentur, quod in tali condicione quam plurima dis offerenda sunt, ut invicem multa recipiantur. Ut enim homines sacrificare possint, dei cum agricultura rem pecuariam coniunxerunt[22]). Ita is honestus est[23]), qui deos colit, quo optimo modo sciat. Cum autem dei neglegendi non sint, Agesilaus ipse sacris hostium sacrificat[24]). Maioribus autem sacrificiis dei non delectantur, quod maxima saepe homines mali sacrificant[25]). Id quod habent homines dent, etiamsi deos summis laudibus colere pulchrum est[26]). Sine tenacitate igitur et nimiis sumptibus dis donandum est, si cum iis commercia agentes homines commoda assequi volunt[27]).

Romanos, quos diligenter mores ritusque maiorum observavisse inter omnes constat, in precationibus maxime hoc spectavisse hoc loco breviter significare possum[28]).

---

17) Nam dei minoribus donis magis gaudent, quod imprimis animos et mores hominum spectant, quam pia tenuitate sint. cf. Porph. abst. 2, 14,15; Antiphan. fr. 164 Kock.

18) 3,21 sqq, 61 sqq.

19) oec. 5,19 sq.

20) oec. 11,9.

21) op. 336.

22) Xen. oec. 5,3. Etiam leges dei dederunt, quod omnibus in legibus est initium deos colendi (comm. 4,4,19). Aristodemus e contrario deos tanti aestimat, ut ipso non indigeant (comm. 1,4,10).

23) Xen. comm. 4,6,2 sq.

24) Xen. Ages. 11,1.

25) comm. 1,3,3.

26) oec. 11,7 sqq.

27) Hor. carm. 3,23,17; Epict. man. 31,5; Porph. ad Marc. 14; abst. 2,16.

28) Cato agr. 132; 134; 139; 141; Catull. 40,3 sq; Cic. leg. 2,40; Hor. carm. 4,15,25 sqq; Ov. am. 1,4,27 sq; Liv. 39,15,2 sq; Pers. 2,73 sqq; Lucan. 7, 168 sqq. Jamblichus (myst. 7,5) viribus preces hominum, qui aliquid sententiae suae putant, privari putat et Graecos rerum novarum studiosos cum sententia illa conectens nominat, cum Origenes (orat. 2,1; 2,4) deos advocari velit, quo modo deceat. cf. Thuc. 5,105.

2a) De tempore et loco.

Deinde comtemplemur, quid de loco, quo preces ad deos mittendae sunt et ab hominibus mittuntur — aliquando cum sacrificiis coniunctae —, et de tempore, quo homines precandum esse putant, veteres senserint. Preces, quae more rituque religionis fiunt certis temporibus diei, mea sententia in hac dissertatione omitti possunt, quod in iis omnino homines, qui ex animi sententia aliquid cupiunt, cognosci non possunt. Primus Heraclitus vehementer opiniones et mores omnes religiosos hominum despicit. Eos, qui ad simulacra deorum preces mittunt, condemnat, talia enim plurimum offensionis habere quasi homines cum aedificiis velint colloqui[1]. Homines minime deos noverunt, quales sint, aut ut dicitur[2]:

„δαιμόνων ἀγάλμασιν εὔχονται οὐκ ἀκούουσιν, ὥσπερ ἀκούοιεν, οὐκ ἀποδιδοῦσιν, ὥσπερ οὐκ ἀπαιτοῖεν."

Quo loco in memoriam revoco, Heraclitum[3]) sacrificiorum duo genera esse dicere, quorum alterum ab hominibus plane purgatis fiat, quod raro inveniatur, alterum autem ἔνυλα, bona corporis, sit.

Et fabulis Aesopi et Babrii discimus nihil referre simulacris supplicare, quod ii auxilium ferre non possint[4]; maiori utilitati esse ea discutere. Tamen homines simulacra deorum colere, immo vero etiam osculari Cicero affirmat[5]. Et Stoicos philosophos, qui quamquam dis templa aedificari nolunt, tamen simulacra adorant, Plutarchus irridet[6]. Nam omnibus locis homines deos advocare possunt[7]. Etiam certo et recto tempore precari opus non est, sed eo tempore, quo deus hominibus preces probas patefacit[8], neque dei obiter colendi sunt[9]. Item Tertullianus[10]: "De temporibus orationis nihil omnino praescriptum est, nisi plane omni in tempore et loco orare."

---

1) fr. 5 D. (Orig. c. Cels. 7,62). Origenes (c. Cels. 7,44) philosophos, qui etsi de dis clarissimas opiniones habent, tamen ad simulacra preces faciunt, despicit, cum homines christiani omnibus locis precentur. Aliis locis (c. Cels. 1,5; 7,65) deum intellegi posse negat, qua de causa simulacrum eius adprecandum non sit. cf. Clem. Alex. protr. 4,50,4. Posterioribus temporibus etiam Theodosius edictum proposuit, ne homines simulacra deorum adorarent. v. Joh. Geffcken, Ausgang d. griech.-römisch. Heidentums. Heidelberg 1920, p. 156 sq.
2) Heracl. fr. dub. 128 D.
3) fr. 69 D.
4) Aesop. 66; Babr. 119; Epic. fr. 390 Us.
5) Verr. 5,94.
6) Plut. Stoic. rep. 6.
7) Ps.-Lucian. Dem. 27.
8) Porph. ad Marc. 12.
9) Porph. V.P. 38, quae opinio Pythagorae etiam Porphyrio adscribenda est.
10) orat. 23. Origenes quoque (orat. 22,5) preces cum certis temporibus non coniungit.

Postremo locum communem, qui raro invenitur, magni tamen aestimandum, dicam[11]; nam saepe dei advocantur, ut veniant et adiuvent, cum homines neque sibi ipsis auxiliari possint neque conati sint. Itaque homines deos admonere non debent, ut aliquid faciant, quod ab iis ipsis laborantibus sine auxilio deorum fieri possit. Simile Xenophon scripsit: Viris non studentibus deos non auxiliari, sed modo eis, qui ipsi aliquid aggrediantur neque minus faciant[12]. Ea modo, quae homines non valent, ad deos conferre licet, et iis quidem, qui laborant, permissum est, ut preces faciant[13].

b) De tacite et clare precando.

Inter leviter et vehementer, tacite et clare precandum complures gradus sunt. Modus precandi semper diversus est, prout precans ad deum adducitur. Si preces consideravimus, ex variis causis et tacite et clare ad deos preces mitti cognoscimus. Summatim equidem genera commemorem, quod iam multi viri doctissimi de hac re egerunt[1].

Primum preces fiunt clarae, ut aut gravitas augeatur[2] aut — ut nonnulli viri docti putant — preces habeant vim magicam aut bonum, quod hoc modo fieri potest, expetatur[3]. Multis locis invenimus verbum ὀλολυγή, quod item habet vim vehementer et clare precandi, sed formula est primitiva optationum[4]. Etiam complures causas tacite precandi videre possumus; primae preces dicendae sunt eae, quae propter timorem hostium, qui eas audire possint, tacitae petuntur[5]. Et statim sub oculos scholia ad A 35

11) Aesop. 81; 300. Neque necessarium est a dis parva omnia petere (Aesop. 424).
12) Xen. comm. 2, 1, 28; 4, 3, 17; Verg. georg. 1, 155; Plut. inst. Lac. 29; apoph. Lac. Char. 5; Babr. 20.
13) Demosth. orat. 19,71; 2,23.
1) cf. imprimis: J. Balogh, Lautes und leises Beten. ARW. 23, 1925, p. 345 sqq. G. Mensching, Das heilige Schweigen. RGVV. 20,2, 1926. — Henr. Schmidt, Veteres philosophi quomodo iudicaverint de precibus. RGVV. 4,1, 1907. — Fr. Sudhaus, Lautes und leises Beten. ARW. 9,1906, p. 185 sqq. Albrecht Dieterich, Eine Mithrasliturgie. 2. Aufl. Leipzig und Berlin 1910, p. 222.
2) A 450: μεγάλα εὔχεσθαι. Ad hunc versum scholia dicunt: „ὅτε δὲ κατηρᾶτο ἡσυχῇ εὔχετο," quod factum est in A 34 sqq. (ψ 59 et Π 844 verba μεγάλα εὔχεσθαι valent "gaudio exsultare.") cf. Liv. 10,36,11; al.
3) Cum clare precando comparandum est, quod antiqui etiam clara voce legere solent.
4) Imprimis ap. Hom.; Herod. 4,189; Eurip. fr. 351.
5) v. Otto Kern, Die Religion der Griechen, Band 1. Berlin 1926, p. 151. σιγῇ: cf. Hom. H 193 sqq (cum scholiis). Hedén l. c. p. 11 videt in H 196 (ἀμφαδίην) antiquam cogitationem iam in animis hominum ipsis fractam. Alia exempla tacite precandi, quod homines hostes timent, sunt: Democr. fr. 23 D., (qui H 390 verba praeconis tacita esse putat); Eur. El. 809 sq; Plut. quaest. Rom. 61; nomina deorum nominanda non sunt, ne ab hostibus trahantur (Ov. trist. 1,1,27 sqq).

cadunt. Chryses ad litus desertum maris venit, ut a deo filiam suam precetur. Ad quem locum in scholiis adnotatum est[6]: „ἵνα μὴ ἀκούσωσιν οἱ πολέμιοι.“ Ulixes κατὰ θυμόν petit[7]) ut ex tempestate maritima servetur, quam precationem scholia explicant, natantem hominem semper precari τῷ λογισμῷ, quod φθέγγεσθαι non possit.

Quod autem a dis res, quae turpes inhonestaeque sunt, per plurimas preces tacitas expetuntur, homines pudore commoti preces non clara voce facere possunt[8]). Omnes ceterae res, quae non palam expetuntur, ex voluntate animaque mala gignuntur, quae tacitae preces ab antiquis philosophis improbantur[9]). Si homines mali se audiri sciunt, bona petunt, taciti autem alia exoptant, quae iis, si alii homines cognoscant, crimini dentur[10]). Si in tribus precibus nefariis amantis, quas nobis Petronius[11]) narrat, a verbis "timidissimo murmure" usque ad "ad aurem male dormientis" persecuti simus, ita nobis plane apertum est, quo modo preces turpes leni voce dicantur et eo magis tacitae fiant, quo turpiores sint.

3a) Dei et vituperantur et placantur.

Gravissimum genus mutui usus, quo, si ad deos preces mittunt, homines utuntur, id puto, ut cum dis de sorte querantur et ab iis postulent, ut di sui misereantur, neque deos vituperare vereantur aut rursum placare conentur. Quae cum ita sint, dei semper admonentur, ut hominibus laborantibus auxilientur. Nägelsbach[1]) conscientiam rerum humanarum ex dis pendentium et fidem potentiae auxiliique deorum preces proferre dicit, quae semper necessitate imposita ad deos mittantur. Tum lamentantur et deplorant sortem atque a dis petunt supplicibus verbis, ut eos

---

6) Igitur similis res est ut verbum σιγῇ in vs. II 195. Sed tam subtilis haec definitio accipienda non est, nam adde δ 432 sq. et μ 333 sq, quo preces a viris, qui in periculo non versantur, in litore deserto ad deos mittuntur. Nam homines in solitudine attente ad deos precari possunt. Scriptores christiani preces, quae in silentio fiunt, praeponunt, quod in tacendo summam cognitionem dei esse putant. Sed etiam silentium, quod in monasteriis erat, in tacite precandum aliquantum contulerit, quamquam preces, quas in angulo factas hostis audire non poterat, tacite ad deos mittendae non erant.

7) ε 444.

8) Catull. 64,103 sq; Tib. 3,11,17 sqq.

9) Cic. Manil. 16,48; Sen. epist. 83,1; 43,4; benef. 2,1,4; 6,38,1 al. Praeceptum Pythagoreorum philosophorum erat: „μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι“, ut preces modo iustae fuerint (Clem. Alex. strom. 4,26,171,1).

10) Hor. epist. 1,14,14 sq; 1,16,57 sqq; Sen. epist. 10,5; Pers. 2,3 sqq; Plin. paneg. 67,5; al.

11) Petr. 85 sqq. v. Balogh 1. c. p. 345.

1) C. Fr. Nägelsbach, Homerische Theologie. 2. Aufl. Nürnberg 1861.

sui misereat[2]). Itaque deos immortales omni modo placare et conciliare conantur. Et animus deorum sacris precibusque commoveri potest, ut multi putant[3]). Plato autem multis locis[4]) dicit animos deorum sacrificiis precibusque neque placari neque flecti posse, quamquam fures et nefarii conantur, cum poetae ex sententia illius putent[5]) ab hominibus posse deos commutari. Etiam Epicurus quaestionem movet, utrum deus magnis sacrificiis placari possit necne[6]). Haud mirum est Senecam admonere, ne homines se deos flexuros esse sperent[7]).

In animo autem sensuque hominum antiquorum conclamantium penitus innatus atque insitus est tantus effectus, ut flebili voce deos vituperent increpentque, atque adeo eos contumelia afficiant[8]). Hae sane preces nominandae non sunt, quarum formulas usitatas homines magna animi perturbatione commoti perrumpunt. Etiamsi antiqui neque cum aliis neque cum se ipsis consentiunt, utrum deorum animi flectantur an non, tamen apertum est voluntatem caelestium precibus placari non posse, si homines nefarii audeant. Sapientes soli facultatem artemque precandi possident[9]). Ad deos autem arbitrium rerum omnium reiciendum est[10]).

b) De gratiis deo agendis.

Multo digniores et honestiores sunt grates dis actae pro rebus acceptis, quae modo breviter mihi commemorandae sunt, ut melius

---

2) Hom. I 171 sq; π 184 sq; Hes. fr. 161 Rz.; Hippon. fr. 25; 29 D.; Bacch. 3,35 sqq; Herod. 6,12; Aesch. suppl. 213 sqq; Soph. Phil. 735 sqq; Eur. Or. 260 sqq; Aristoph. Lys. 716 sq; Lycurg. orat. 1,143; Naev. carm. 15 Morel; Plaut. Amph. 455 sq; Cic. S. Rosc. 11,29; Verg. Aen. 4,203 sqq (cum Servio); al.

3) Hom. A 472 sqq; I 497 sqq (hoc loco Preces (Λιταί) Iovis filiae inducuntur); Her. 1,50; Aristoph. pax 389; Xen. oec. 5,3; Plaut. rud. 22 (cf. Marx ad l.); Philod. περὶ θεῶν 17,1—16; 18,22 sqq; Cic. dom. 140; Verg. Aen. 8,59 sqq; Ov. ars 1,442; Pont. 4,15,23 sq; Liv. 26,9,7 sq; Iuv. 13,100 sqq; Apul. deo Socr. 13,147 sq; Macrob. 1,7,15; Max. Tyr. 11,3 sqq; Iambl. myst. 8,8 (dei nullis passionibus tanguntur, quamvis precibus flecti videantur 1,12); Porph. ad Marc. 19; ad Aneb. 4 sq; abst. 2,37; Themist. orat. 15; Simpl. in Epict. 31 p. 107 Dübner.

4) rep. 3,399 B; leg. 10,885 B; 905 D; 906 B; 909 B.

5) rep. 2,365 E sqq; Hor. epist. 2,1,138.

6) Ox. Pap. 2,215, col. 2,19 sqq; v. H. Diels, Ein epikur. Fragment über Götterverehrung. Sitzungsberichte d. Berl. Akad. 1916, p. 886 sqq.

7) epist. 27,12; 95,50; benef. 6,23,1. Idem clare edicit: homines caveant, ne deos fatigent (epist. 31,5); Stat. silv. 5,1,72 sq.

8) Hom. A 352 sqq; Γ 365 sqq; μ 370 sqq; al. Aesch. suppl. 154 sqq; Aristoph. pax 56 sqq; Menander fr. 1083; Sen. de ira 1,20,8; 2,30,2; Mart. 8,40; Lucian. sacrif. 3; ad Verg. Aen. 4,203 sqq et 10,668 cf. Hch. Lehr, Religion u. Kult in Vergils Aeneis. Diss. Gießen 1934, p. 23 sq.

9) Hierocles carm. aur. p. 420 B Mullach (Fr. philos. Gr. I); Max. Tyr. 11,3.

10) Iuv. 10,346 sqq.

cognoscere possimus, qua ratione homines cum dis agant[1]). Beckmann[2]) ad quaestionem non respondet, utrum homines, quales in Iliade describuntur, gratiarum dis agendarum notitiam habuerint necne. Exemplis quidem, quae in Iliade inveniuntur, quaestio diiudicari non potest. Et apud Homerum et apud posteriores poetas diversissimas gratias legere possumus, ut paene omnes modi, quibus homines dis gratias agunt, exstent: Et pro reditu aut suo aut cari propinqui[3]) et pro prospera navigatione marisque et aliorum periculorum salute[4]) et pro interitu inimicorum victoriaque[5]) et pro libertate[6]) et pro potestate auctoritateque aucta[7]) et pro commercio bono[8]) et pro feliciter pariendo[9]) et omnibus ceteris rebus auxilii[10]). Semper semperque homines dis gratias agere debent pro omnibus rebus, quas acceperunt[11]). Diversae aliae gratiae actae inveniuntur, ut homines deos honoribus afficiant, quod omnia evenerunt, quo modo voluerint[12]). Aut homines se ipsos admonent, ut dis gratiae agendae sint[13]). Etiam

1) v. J. W. Hewitt, On the development of the thankoffering among the Greeks. Transactions and proceedings of the Am. phil. ass. 43,1912, p. 95.
2) l. c. p. 22 sqq. De H 296 sqq autem cum illo consentire non possum, nam mulieres, quae conveniunt orantes, ut Hector sanus redeat, deae gratias nulla ratione agunt. Sacrificia, quae Neptuno γ 378 sq fiunt, gratiae actae esse videntur, sed Hewitt, l. c. p. 98 recte dicit, periculum non praeterisse et deos sacrificiis in posterum conciliari.
3) Plaut. capt. 929 sqq; Ter. Hec. 346; Hor. carm. 1,36,1 sqq; al. — Hoc loco commemorari potest nobis imprimis in comoediis Romanorum animum intendendum esse, utrum loci tractati a Graecis accepti sint necne. v. Friedrich Leo, Plautinische Forschungen. 2. Aufl. Berlin 1912, p. 102 et Ed. Fraenkel, Plautinisches im Plautus. Phil. Unters. 28. Berlin 1922, p. 185 adn. 1.
4) Ps.-Ario hymn. in Nept.; Herod. 7,192; carm. epigr. 19; Plaut. cist. 14 sqq; Cic. Catil. 1,11; al.
5) Aristoph. equ. 1253; Xen. inst. Cyri 4,1,2; Demosth. orat. 19,128; Plaut. Persa 753 sqq; Liv. 27,13,2; Aelian. nat. an. 7,44; al.
6) Herod. 4,136; al.
7) Plaut. mil. 1228 sqq; Plut. glor. Ath. 349 F; Epict. 4,10,14; al.
8) Plaut. Stich. 402 sqq; al.
9) Ter. Andr. 770 sq; al.
10) Alcm. fr. 1 D.; Bacch. epigr. 49 B; Aesch. suppl. 121 sqq; Eur. Troad. 884 sqq (cf. M. Pohlenz, Die griechische Tragödie Leipzig—Berlin 1930, p. 392); Aristoph. pax 560; Xen. anab. 3,3,14; Demosth. orat. 24,7; Enn. scen. 209; Plaut. Cas. 841 sq; Ter. Phorm. 596 sqq; Cic. Mur. 36, 75; Hor. carm. 2,17,27 sqq; Ov. met. 10,291; Liv. 30,21,19; Sen. Herc. f. 900 sqq; Stat. Theb. 10,336 sqq; Tac. ann. 15,71; Babr. 10; al.
11) Aesch. suppl. 689 sqq; Xen. oec. 8,16; Demosth. orat. 1,10.
12) Eur. Hipp. 1169 sqq; Ter. Ad. 138; Cic. p. red. ad Quir. 2,5. Officium est hominis, qui res externas accepit, dis gratias agere, quibus omnia debemus (Plin. paneg. 52,6; Epict. 2,23,5 sqq; 3,5,10; 4,1,105). Aut — ut Arrianus (venat. 34 sq) dicit — operibus factis deis sacrificia gratiarum actarum facienda esse, quae etiam Triptolemus Atheniensibus in legibus praescribit. cf. Porph. abst. 4,22.
13) Plaut. mil. 394. Sed sine explicatione naturae homines nesciunt, quas gratias deis debeant (Stoici ap. Cic. fin. 3,73).

vota fiunt gratias agendi[14]). Id unum autem nos percutit, quod Ciceronis loco quodam Cotta ita dixit[15]): "At vero aut honoribus aucti aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni aut depulimus mali, tum diis gratias agimus, tum nihil nostrae laudi assumptum arbitramur. Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit unqam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis." Si homines res acceptas conservant, fortunae gratias referunt, sin autem amittunt, etiam memoriam gratam neglegunt[16]).

II A Quae potissimum secundum philosophorum doctrinam petenda sint.

1) bonum et virtutes.

Altera parte cognoscemus, quid potissimum ex sententia philosophorum hominibus expetendum sit[1]), et primum quattuor disputationes de precibus tractabimus: Pseudo-Platonis dialogum "Alcibiadem alterum", saturas Persii secundam et Iuvenalis decimam, dialogum Luciani "navigium seu preces". Primum videbimus, quod argumentum singulae disputationes habeant, deinde inter se comparabimus[2]).

---

14) Plaut. Curc. 527; Ter. Phorm. 894 sqq; inc. ad Oceanum 25 sqq P. L. M. 3,165 sq, cum Hch. Lehr, l. c. dicat p. 22: "Wie bereits oben bemerkt, fehlt der Dank als Motiv zum Gebet in der Aeneis vollständig. Wenn die Götter den Menschen durch Epiphanie oder sonstige Umstände in der Not beigestanden haben und ihnen vielleicht neue Wege zur Rettung aus der Bedrängnis gezeigt haben, so begnügen die Menschen sich in ihrem Gebet mit der Feststellung der bloßen Tatsache des göttlichen Eingreifens und fügen lediglich noch hinzu, daß sie willens sind, dem Wink der Gottheit zu folgen (sequi)." Et p. 22 adn. 34: "Der Dank in unserem Sinne muß fehlen, da die Römer den Begriff der göttlichen Gnade nicht kennen; dafür tritt als Rechtsverhältnis ein das Votum." Et p. 23, adn. 35: "Der Dank an die Götter ist im Grunde genommen nicht nötig, da das Fatum seinen Willen auf alle Fälle durchsetzt (Aen. 7,120; 6,66)." Etiamsi apud Vergilium gratiae dis actae non inveniuntur, tamen apud alios Romanos sunt, quas in hoc capite legimus.

15) Cic. nat. deor. 3,87.

16) Demosth. orat. 1,11.

1) v. H. Schmidt, Veteres philosophi quo modo iudicaverint de precibus. RGVV. 4,1. Gießen 1907.

2) Satura altera Persius Macrino diem natalem agenti gratulatur, cum Iuvenalis tractationem puram habeat, ut stultitiam hominum illustret. In Ps.-Platonis dialogo Alcibiadem in templum euntem Socrates retinet, ne malum petat; et Luciani dialogus exoritur ex adhortatione, ut omnes, qui adsint, dicant, quid, si liceat, expetant.

Varias opiniones virorum doctorum[3]), quo tempore et a quo auctore Alcibiades alter Ps.-Platonis ortus sit, neglegere possumus. Initio dialogi auctor admonet, ne quid homines expetant, quod homines imprudentes maxime ad deos preces stultas mittant; nam res, quas petunt, bonas esse putant. Scelestae autem preces sunt eae, per quas a dis aliquid petitur, quod malum esse ipsi homines sciunt sicut Oedipus se gesserit[4]). Postquam etiam per exempla stultarum precum[5]) illustravit, quae a dis petenda non sint, philosophus admonet, ut homines bonum precentur[6]) secundum praeceptum poetae cuiusdam moremque Lacedaemoniorum. Ultima parte cum quaestionem habet, qua ratione precandum sit, exponit animum pium iustumque apud deos plurimum valere[7]). Optimum denique habet silere et exspectare, dum homines discant, qua ratione cum dis loquendum sit[8]). In dialogo igitur primum tractatur, quae non precanda sint, deinde, quae petenda sint[9]), tum, qua ratione petendum sit. Postremo certa sententia non dicitur, sed adhortatio silendi et exspectandi datur.

Persius versibus 3—4 saturae alterius (versibus 1—3 poeta Macrino diem natalem agenti gratulatur) de argumento loquitur, quod more scholastici perfecte et composite tractat et bene disponit. Quam quaestionem περὶ εὐχῆς Persius subtilius et melius tractare potuit quam alii philosophi, etiamsi multas res obscure dicit, ut saepe difficile sit res facetius significatas invenire et cognoscere. Verbis "non tu . . . . poscis" [10]) dispositionem negative instituit; tu[11]) quidem non ita agis ut alii homines, quod tibi utilitati est. Verbo "emaci" [12]) explicare vult, qua ratione petere soleant homines; quae autem petuntur, clarius cognoscuntur[13]) et ea quidem nominantur, quae non expetenda sunt, qua de causa secreto tantum[14]) dis committere audent homines. Talia omnia Macrinus non facit. Iam sequitur tractatio sic instituta, ut poeta priore parte saturae (v. 5—51) id potissimum exponat, quales preces homines caveant: v. 9—30 scelestas, 31—40 stultas, 41

---

3) v. H. Brünnecke, De Alcibiade II, qui fertur Platonis. Diss. Gott. 1912. E. Bickel, Ein Dialog a. d. Akademie d. Arkesilas. Arch. f. Gesch. d. Phil. NF. 10, 1. Berlin 1903, p. 460 sqq.
4) 141 A. ἐκεῖνος μὲν ὥσπερ οὐδ' ηὔχετο, οὐδ' ᾤετο. Qua de causa eas preces in scelestis precibus posui.
5) 141 D sqq.
6) 142 E sqq.
7) 149 D sqq; cf. leg. 905 D sqq.
8) 150 C sqq.
9) 142 E sqq.
10) v. 3.
11) Allocutio postea amittitur.
12) v. 3. Emaces preces sunt eae, per quas dei voto vel sacrificio pretiosissimo facto quasi corrumpuntur.
13) v. 4. cf. scelestas preces v. 9 sqq.
14) v. 4.

—51 preces per se probandas (valetudinem viridemque senectutem et divitias), nisi homines ipsi per luxuriam victus et sacrificiorum sanitatem opesque destruant[15]. Neque tamen poeta neglegit obiter etiam preces rectas tangere (v. 8)[16] et rationem precandi tam rectam (v. 8,40)[17] quam perversam (v. 5,9, 15,29 sq, 44 sqq)[18]. Altera parte (v. 52—70) de ratione precandi rursus sic agit, ut vehementissime indignetur improbam hominum de dis opinionem, tamquam eadem avaritia qua homines corrupti sint[19]. In epilogo (v. 71—75) denique quid doni afferant dis homines comprehendit[20] v. 73 sq orbe tractationis quasi ex fine in initium retroverso (v. 8).

Minus plene Iuvenalis rem tractat. Quod rerum usu observatum est paucos homines vera bona dinoscere posse a malis (v. 1—4), id illustraturus est ex ratione precum: unde sequitur Iuvenalem imprimis id spectare, ut stultitiam hominum ex precibus recognoscendam curet; iure enim paeniteat homines votorum, quae tantum absit ut saluti sint, ut contra summam perniciem afferant. Quod statim accuratius ostendit ex damno propter divitias accepto (v. 12—53), noxiosissimam utpote exoptatissimam[21] rem in prooemio ponens. Quae praeterea domi militiaeque optantur, hic paucis significat (v. 8 sqq) in ipsa tractatione deinceps uberius enarraturus[22]. Videmus igitur Iuvenalem non tractare nisi preces stultas. Quibus tractatis poeta v. 346 sqq monet, ne ipsi eligamus quid nobis prosit, sed ut omnia dis committamus, utpote qui sciant, quid nobis optimum sit; quodsi vero aliquid optemus, hoc orandum esse, ut ad animum bonum accedat valetudo corporis. At si quis veram habeat virtutem, eum posse carere et dis et deorum beneficiis.

---

15) cf. Democr. fr. 234 D. Diog. Laert. 6,2,28; Stob. 3,6,35 p. 293 W.-H.
16) mens bona, fama, fides.
17) v. 8 clare. Imprimis v. 40 verbum "albata" diligenter respiciendum est, quod aliter atque exempla, quae in praecedentibus versibus allata sunt, ut ostenderetur, qua ratione homines precarentur, condemnandum non est. Nam decet pura veste ante oculos deorum venire, etiamsi hoc loco stultae preces ad eos mittuntur. cf. Sen. epist. 10,5.
18) v. 5 tacita acerra; v. 9 illa sibi introrsum et sub lingua murmurat; v. 15 mane caput in Tiberim aliquis mergit, ut "sancte" preces scelestas ad deos mittat. v. 29 sq qua tu mercede deorum emeris auriculas; 44 sqq .. Mercuriumque accersis fibra ....
19) v. 62 sq: "quid iuvat hoc, templis nostros immittere mores et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?" v. 69 "...in sancto quid facit aurum?" Persius et Ps.-Plato (149 E sq) autem aures deorum magnis sacrificiis emi non posse consentiunt.
20) v. 73 sq "compositum ius fasque animo sanctosque recessus
mentis et incoctum generoso pectus honesto"
21) v. 12 "plures ....."
22) Quinque optationes prooemii et tractationis non consentiunt. Cum "nocitura toga" (v. 8) aequari potest "cupido potestatis" (v. 54 sqq) et cum "nocitura militia" (v. 8 sq) prooemii "gloria belli" (v. 133 sqq),

Item Lucianus in dialogo "navigium seu preces" stultitiam[23]), quam homines in precibus ostendunt, tractat tres optationes stultas[24]) enumerans.

Iam si quattuor istas disputationes inter se conferimus[25]) manifestum est, neminem horum scriptorum materiam totam tractasse, longe diligentissimum esse Persium: is enim et quid et qua ratione sit precandum aut non precandum, plus minusve exposuit, cum ceteri alteram partem, de ratione precandi, omnino neglegant. Negative preces tractat Persius v. 4 prooemii et v. 9—51 tractationis, de rectis precibus autem breviter loquitur v. 8. Perversa ratione precandi nonnullis locis et prooemii (v. 3) et prioris partis (5, 9, 15, 29 sqq, 44 sqq) tacta de eadem quaestione v. 52 sqq agitur, qua ratione precandum non sit. Qua ratione re vera hominibus ad deos eundum sit, ex epilogo (v. 71 sqq) discimus.

---

quae tertium locum tractationis obtinet, coniungi potest, cui loco virum, qui "viribus confisus periit" (v. 10 sq), addimus. Altero loco autem tractationis "eloquentiam" (v. 114 sqq) legimus, quae tertio loco prooemii (v. 9: copia dicendi) invenitur, aut secundo, si communi verbo "nocitura" adducti "toga" cum "militia" coniungimus. "Pecunia" (v. 12 sqq) deest in tractatione quod iam subtilius in prooemio tractata est, cum "vita longa" (v. 188 sqq) et "pulchritudo" (v. 289 sqq) in tractatione enumerentur.

23) cf. Semonid. Am. el. 29 D.: Multa, quae perfici non possunt, homines excogitant, simul neque in morbos neque in senectutem neque in mortem intenti sunt. v. O. Schissel v. Fleschenberg, Novellenkränze Lucians. Rhet. Forschungen 1, Halle 1912, p. 22 sqq et L. Radermacher, Lucians πλοῖον ἢ εὐχαί. Wiener Studien 33,1911, p. 224 sqq.

24) cap. 18 sqq (divitiae), cap. 28 sqq (potestas), cap. 41 sqq (anuli, qui vires magicas habent, v. L. Radermacher, Mythika 6. Wiener Stud. 36, 1914, p. 323 sq).

25) **Quid non precandum**

scelestae preces: Pers. 4 (quae); 9—20 (divitiae); Ps.-Plato 141 A (Oedipus).

stultae preces: Pers. 31—40 (pulchritudo et vita iucunda); Iuv. 8 sqq (toga, militia, copia dicendi, vires, divitiae); 54 sqq (potentia, eloquentia, gloria belli, vita longa, pulchritudo); Ps.-Pl. 138 A sqq (potestas, liberi); Luc. (divitiae, potestas, vires).

preces per se probandae: Pers. 41—51 (valetudo, senectus, divitiae).

Quid precandum

mens: Pers. 8 (mens bona, fama, fides); Iuv. 356 (mens sana in corpore sano).

bonum: Ps.-Pl. 142 E sqq.

diis committere: Iuv. 346 sqq.

Qua ratione non precandum

dei emi non possunt: Pers. 3 (prece emaci); 29 sq (qua mercede emeris); 44 sqq (exoptas caeso bove .....).

tacite: Pers. 5 (tacita acerra); 9 (murmurat).

clare: Pers. 8.

sancte: Pers. 15 (in gurgite mergis).

opinio improba de dis: Pers. 52—70.

Qua ratione precandum

quid doni dis dandum est: Pers. 70 sqq.

silere et exspectare: Ps. Plat. 150 C sqq.

Persio proximus accedit Iuvenalis, ita ut de precibus stultis loquatur et, quid precandum sit et quid non, rationem neque rectam neque perversam tangens. Usque ad v. 345 preces stultas hominum, quae non petenda sint, illustrat. In epilogo denique Iuvenalis docet, quid hominibus precandum sit (346 sqq).

Lucianus non tractat nisi quid petendum non sit. Restat denique dialogus Ps.-Platonis, qui priore parte admonet, ne homines preces stultas ad deos mittant (138 A sqq)[26]), altera parte (142 E sqq) auctor ad rectas preces deflectit, ut homines bonum a deis petant[27]). Extremo autem dialogo (150 C sqq) Ps.-Plato a ceteris valde differt, quod admonet, ut homines nihil expetere melius sit, cum Persius et Iuvenalis semper mentem sanam petendam esse docent.

Postremo commemorandum est, quo modo auctores argumenta proposita exornaverint. Iuvenalis latissime propositum exponit, quod velut in magna pictura per personas, quarum nomen est magna gloria apud omnes, vitia hominum ostendit. Persium autem breviter significare et imagines parvas vitae cotidianae afferre apertum est, quamquam saturam Iuvenalis clarius quinque partibus stultarum precum distributam et subtilius exstructam esse videre possumus. In Luciani dialogo[28]) reperimus tres sublimes optationes (divitias, potestatem, vim magicam, ut potestatem omnium rerum habeat), quas ultima precatione excepta in satura Iuvenalis cognovimus. Cum in satura Iuvenalis precibus a dis auditis pernicies, quam homines aliquid petentes acceperunt, narrando ostendatur, Lucianus monet, in quod periculum homines, qui preces ad deos mittunt, veniant aliqua ex parte per personas, qui inducuntur, exempla ex historiis praebens[29]).

---

26) Uno loco (141 A) excepto, per quem auctor illustrat, quo modo Oedipus calamitatem novam exoptaverit, qui tam stultus fuerit, ut id, quod ei detrimento futurum sit, petiverit. Multi quamquam irati non sunt qualis fuit Oedipus, malum expetunt bonum esse putantes, cum Oedipus ne id quidem petiverit, quod bonum habeat. Hae preces igitur scelestae putari possunt.

27) Verba, quae Lacedaemonii imitati sunt, alicuius poetae ignoti commemorentur: Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλά, φησί, καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δειλὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
cf. Ps.-Plato 143 A; Plat. leg. 687 B sqq; 801 B sqq; Xen. comm. 1,3,2 (de Socrate).

28) In quo per verba „δηλώσει γὰρ οἷος ἂν καὶ πλουτήσας ἐγένετο" apertum est optationes solas, ut divites fiant, homines habere. Et cum fine dialogi Lycinus, qui Lucianus ipse est, prohibeatur, ne suas opiniones dicat, omnes tristes sunt Lycino excepto, quem non paenitet, munera fortunae simulata amittere: „ἐμοὶ δὲ καὶ τοῦτο ἱκανὸν ἀντὶ πάντων θησαυρῶν καὶ Βαβυλῶνος αὐτῆς τὸ γελάσαι μάλα ἡδέως ἐφ' οἷς ὑμεῖς ᾐτήσατε τοιούτοις οὖσι, καὶ ταῦτα φιλοσοφίαν ἐπαινοῦντες."

29) Etiam Ps.-Plato declarat homines potentiam petentes interire et — ut Iuvenalis — personas historiae affert: quaestio una quidem latius explicatur neque potestatem neque omnino omnes res expetere bonum esse.

Has quattuor amplas disputationes, quae ab antiquis temporibus nobis traditae sunt, de precibus factas, quibus homines admonentur, ut preces cogitent et bonum expetant aut potius dis omnia committant, postquam tractavimus, quaeramus, utrum praeterea minores libros, quibus virtus et bonum aestimatur, habeamus an non, cum magni philosophi hoc potissimum loco commemorandi non sint, quod forsitan apud eos de hac quaestione, quae in nostra dissertatione tractatur, multus copiosusque sermo non sit. Notum autem est in eorum libris multas tabulas virtutum inveniri posse.

Aristoteles libro, qui periit, περὶ εὐχῆς ostendit etiam philosophos non minuere suam dignitatem, cum ad deos precantes veniant[30]). Alio loco huius libri igitur quaesivisse Aristoteles putandus est, quo modo precandum sit[31]). Et in fine libri[32]) deum animam esse aut superiorem anima legimus. Deinde mihi nominandus est Maximus Tyrius, qui initium dissertationis[33]), quae εἰ δεῖ εὔχεσθαι nominatur, ab historia Midae regis, qui sibi omnia, quae tangat, aurea fieri cupit, incipit; sero intellegit, quid optaverit. Sequuntur fabula Croesi et exempla, quae ex Homeri carminibus excerpsit. Quibus ex rebus scriptor subtiliter concludit hominem dignum etiam sine precibus ea, quae velit, assequi, quod omnes preces providentia regat. Etiam philosophi non precantur[34]), ut aliquid, quod non habent, possideant, sed ut cum dis de iis rebus, quas habent, loquantur, quo modo Socrates neque divitias neque potestatem, sed valetudinem animi et vitam non vituperandam exorat. Quae cum ita sint, philosophi soli sciunt, quid petendum sit. In hac dissertatione Maximi Tyrii omnes sententias, quas supra cognovimus, invenimus.

Si virtutes singulas, quas expetendas esse philosophi putant, cognoscere volumus, in omnibus ordinibus ab iis locis, qui habent tabulas rerum, quae plurimi aestimandae sunt, incipiamus. Primum videamus, quid philosophi de precibus, in quibus simpliciter bonum petitur, senserint.

Ex Pythagora[35]) bona (ἁπλῶς τὰ ἀγαθά) petenda esse audimus, καὶ μὴ κατὰ μέρος ὀνομάζειν, οἷον ἐξουσίαν, κάλλος, πλοῦτον, τἄλλα τὰ τούτοις ὅμοια. Atque Diogenes Laertius[36]) narrat illum vetare

---

30) Jäger, W. Aristoteles. Grundlegung einer Geschichte seiner Entwicklung. Berlin 1923, p. 163.

31) Ceterum Aristoteles vix de precando ipso loquitur, etiamsi deos hominibus consulere putat et eos, qui de deis colendis desperant, poenis affici.

32) fr. 49 Rose.

33) diss. 11.

34) Qua ratione Socrates Plato Pythagoras petiverint, Maximus Tyrius (diss. 11,8) affirmat.

35) Diod. 10,9,7 sq.

36) 8,1,9; Iambl. V.P. 28,137. Item Socrates nihil petendum a dis esse putat, nisi ut bonum tribuant; eos enim solos scire, quid hominibus utile sit.

homines sibi aliquid exoptare inscios, quid bonum sit. Secundum Aristotelis[37]) sententiam hominibus bonum solum appetendum et optabile est, ut id, quod per se bonum est, etiam hominibus optantibus bonum sit. Optabilia igitur sunt bona animi, quae, ut Zeno[38]) dicit, sapiens a dis petit; quo modo Plutarchus[39]) ipse hominibus bonum expetendum non esse putat nisi illis, qui mentem animumque habent, quod mente sapientiaque homines cum deo coniungantur. Virtutem ipsam primam hominibus necessariam esse Sappho[40]) putat dicens virtute non comparata divitias inquilinum nocentem esse. Quem ad modum vis et gravitas scholae Pythagoreae in moralibus rebus sitae sunt[41]), sic ex sententia Democriti[42]) virtutes bonaque animi sola hominibus appetenda sunt, nam eadem sunt quasi commoda caelestia. Atque philosophi omnes, qui doctrinam de moribus habent, quaerunt, quid bonum sit et quid hominibus faciendum sit, ut id habeant. Ut exemplum afferam, Epicuro virtus appetenda est, quod per eam beatitudo accipitur, Stoici autem virtutem ipsam cupiunt. Et Seneca[43]) dicit: "Quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiam si ab una fieri videtur, optabile est." Hesiodus ex Homero quaerit[44]):

„Εὔχεσθαι δὲ θεοῖσιν τί πάντων ἐστὶν ἄμεινον;"

Atque Homerus respondet benevolum bonumque in animo esse per omnia tempora. Etiamsi posterioribus temporibus carmen attribuendum est, nos conspicientes delectat, ut posteriores a Socrate et philosophis adducti sententias suas antiquis poetis attribuerint. Ita iam Democritus[45]) neque per armenta neque per aurum homines beatos fieri affirmat, sed animum solum habitari a numinibus

---

37) Eth. Nic. 1,1,1094 A; 5,2,1129 B. Eae res, quae ipsae optabiles sunt, magis exorandae sunt quam illae, quae aliarum rerum causa cupiuntur (Top. 3,1,116 A sq). Optabiles autem eae res esse possunt, quae et utiles et honestae et iucundae sunt (Top. 3,3,118 B).

38) Diog. Laert. 7,1,124.

39) Is. et Os. 1; Clem. Alex. strom. 7,7,39. Eos, qui sciunt, quid bonum expetendum sit, precari decet.

40) fr. 92 D.

41) Aristot. m. m. A, 1, 1182, A 11.

42) fr. 37 D.; virtus appetenda est in partibus protreptici Anonymi Iamblichi (fr. 4, Diels Vors. II. 3. Aufl. p. 331), quae sententias Sophistarum praebent.

43) epist. 67,10. Philosophus etiam eos, qui aliquid fugiendum exoptant, contemnit, quod ignorantia veri sit (epist. 118,4 sqq).

44) cert. Hom. et Hes. 157 sq Rz. Adolf Busse (Der Agon zwischen Homer und Hesiod. Rhein. Mus. 64, 1909, p. 114, adn. 1) emendat v. 158 ex Socrate ipso dicens Homerum respondere: „εὔνους εἶναι ἁπλῶς αὐτῷ χρόνον ἐς τὸν ἅπαντα," ut apud Xen. comm. 1,3,2 de Socratis precibus legimus: „καὶ ηὔχετο δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας ὁποῖα ἀγαθά ἐστι."

45) fr. 171 D.

divinis (ψυχὴ οἰκητήριον δαίμονος). Quis versum Iuvenalis a modernis saepe non recte intellectum non cognovit[46]):

"orandum est ut sit mens sana in corpore sano".

Doctrinas autem alias atque easdem, quas adhuc legimus, Epictetus[47]) docet:

„τὰ ἀγαθὰ ἔξω μὴ ζητεῖτε, ἐν ἑαυτοῖς ζητεῖτε. εἰ δὲ μή, οὐχ εὑρήσετε."

Euthydemus[48]) autem, nisi iure beatitudo laudetur, quid a dis petendum sit, nescit.

Mirum est a Theognide[49]) audire neque virtutem neque divitias, sed fortunam solam expetendam esse. Hoc loco verbum ἀρετή miramur, si cum eo conferimus versus 789 sqq, 933 sqq, 465 sq, 653 sq. Quo loco suntne verba „ἀρετῆς δ'ἄλλης" (v. 654) percipienda adaequata cum praecedentibus (v. 653) an cum virtute ipsa, id est ut eam contemnat velut etiam in v. 129 sq? Fortunam bonam ab Apolline et Latona et Diana exoptandam esse, valetudinem autem ab aliis dis Demosthenes[50]) putat, ut etiam omnia bona ex dis exspectanda et a caelestibus petenda sunt.

Non multos locos, quibus homines monentur, ut iustitiam a dis omnipotentibus accipiant, invenire possumus. Crates[51]) mavult iustitiae participem esse quam multas alias res habere. Apud Theognidem[52]) tres res ex diversis rationibus aestimatas legimus:

„κάλλιστον τὸ δικαιότατον· λῷστον δ'ὑγιαίνειν·
πρῆγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν·"

---

46) 10,356; Sen. epist. 10,4. Similes coniunctiones, ut hoc loco mentis et corporis, saepe invenimus; confer verba in hymnis Homericis semper paene coniuncta ἀρετή et ὄλβος. cf. autem Sen. epist. 41,1: "Facis rem optimam et tibi salutarem, si .... perseveras ire ad bonam mentem quam stultum est optare, cum possis a te impetrare." cf. Sen. nat. quaest. 3, praef. 13; Hor. carm. 1,31,17 sqq.

47) 3,24,112. Nam fortuna et felicitas acquiri potest (1,29,3; 2,16,27 al.) v. A. Bonhöffer, Die Ethik des Stoikers Epictet, Stuttgart 1894, p. 40 et R. Bultmann, Das religiöse Element in der ethischen Unterweisung des Epictet und das Neue Testament. Ztschr. f. neutest. Wiss. 13, 1912, p. 100 sq. Atque Porphyrius (ad Marc. 13) suadet: „ταῦτ' οὖν θέλε καὶ αἰτοῦ τὸν θεὸν ἃ θέλει τε καὶ ἔστιν αὐτός . . ."

48) Xen. comm. 4,2,36.

49) v. 129 sq.
Fortasse autem P. Friedländer ("Ὑποθῆκαι Hermes 48,1913, p. 585) recte monet τὴν τύχην, id est favorem deorum, etiam virtutem et divitias complecti posse. Nam singula bona appetenda non sunt, sed exspectandus est favor deorum, a quibus homines donis afficiuntur. Ea est etiam aliis locis sententia Theognidis: omnia pendent ex dis. In omnibus rebus aurea mediocritas diligenda est.

50) orat. 20,161; 21,52. Homines ipsi sortem eligunt et ii ipsi, qui postremi eligunt, vivere possunt, quo modo velint (cf. Plat. rep. 10,617 D sq, 619 B sq).

51) fr. 1 D.

52) 255 sq. cf. scol. an. 7; Soph. fr. 329 N. Qua de causa virtus, quae ipsa pulchra est, propter pulchritudinem ipsam exoptanda est. Alias omnes res aliis causis homines adducti expetunt. v. C. W, Goettling, Die delphischen Sprüche. Ges. Abhandlg. 1, Halle 1851, p. 249 sq.

Etiamsi hi versus poetae esse non videntur, sed vetustiores sunt[53]), tamen hoc loco proferendi sunt; nam moribus Theognidis consentaneum est, eum magno gaudio affici, quod precibus a dis res optatas impetraverit. Chrysippo[54]) virtutes sunt primum δικαιοσύνη, deinde μεγαλοψυχία, tum σωφροσύνη, cum Tertulliano[55]) scriptori christiano clementia petenda sit.

Sapientiam iudiciumque autem, quamquam non facile adipisci possunt, tamen optanda esse Solo[56]) docet. In elegia altera, in qua victoriae Olympiae enumerantur, Xenophanes[57]) dicit:

ῥώμης γὰρ ἀμείνων
ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων ἡμετέρη σοφίη,
ἀλλ' εἰκῆ· μάλα τοῦτο νομίζεται, οὐδὲ δίκαιον
προκρίνειν ῥώμην τῆς ἀγαθῆς σοφίης.

Quo loco iam ad singulares res deflectit, non robur corporis incultum, sed ἡ ἀγαθὴ σοφίη hominibus quaerenda est. Tamen haud scio an simplex verbum δίκαια[58]) in nostris quaestionibus pluris aestimandum sit. Nonne homo scit, τὴν σοφίαν sibi bonum esse? Semper autem bonum est iustum facere. Plato[59]) bona deorum comprehendit et primam dicit prudentiam sapientiamque, deinde sanam constitutionem animi, tum iustitiam et fortitudinem, stultum autem esse putat id exoptare quod disci possit. Si eximiae virtutes, ut philosophi Epicurei putant[60]), nullam voluptatem gignunt, optabiles non sunt. Nam sapientia non cupiatur, nisi aliquid efficitur, quod est voluptas.

Bellicosum animum Tyrtaeus[61]) habet, qui fortitudinem, qua mala belli tolerantur, omnibus ceteris rebus praefert. Itaque animos Spartanorum pugnantium confirmat. Neque ποδῶν ἀρετή neque παλαιμοσύνη neque μέγεθός τε βίη neque φυή neque divitiae potestasque sunt ea, quae nobis proponenda sunt, sed virtus et fortitudo sola. Quae omnia altera parte elegiae coloribus pugnae vehementissimae distinguit. Haec contra fortitudo non ab eo ipso propria exoratur, sed concitatio fortiter pugnandi putanda est. Apud Menandrum[62]), comicum poetam, adhortationem invenimus, ut homines cupiant non liberos a tristitia esse, sed patientes, quod vel dei vel mortui sine doloribus sint.

---

53) Aristoteles (Eth. Nic. 1,9,1099 A) ea verba paulo commutata commemorat inscripta esse templo Apollinis Deliaco.
54) fr. Stoic. 3,157 v. Arn.
55) orat. 7; 8.
56) fr. 16 D.
57) v. 11 sqq D.
58) fr. 1 D.
59) leg. 1,631 C. Id primum appetendum est, ut scientia sapientia prudentia animi accipiantur. cf. leg. 3,687 E.
60) Cic. fin. 1,42.
61) fr. 9 D.
62) fr. 549 K.

Denique hominibus res mortales optandae non sunt[63]). Et periculum est precari, ut optata audiantur, si consilium bonum deest, qua de causa magis contrarium exorandum sit[64]). Et audiamus Senecam[65]): "Huc ergo cogitationes tuae tendant, hoc cura, hoc opta omnia alia vota deo remissurus, ut contentus sis temet . . . "

Non mirabimur, si ea omnia animo nostro volvimus, adhortationes virtutem expetendi inveniri maxime apud philosophos et viros, qui homines meliores facere intendunt; quales preces re vera multo rariores esse postea videbimus. Dei quamquam melius quam homines, quid bonum sit, sciunt, non saepe praecepta Socratis et aliorum philosophorum a mortalibus adhibita sunt. Semper tales preces fuerunt, quales diversae hominum naturae.

2) commoda externa:

a) valetudo et vita laeta.

Nunc loquendum est de valetudine et vita beata, quam homines petendam esse dicunt. In scolio anonymo quodam[1]) valetudo primum locum obtinet, alterum pulchritudo, tertium pecunia sine fraude comparata, quartum laetitia, qua homines inter se coniunguntur. Etiam Simonidi[2]) valetudo magni momenti est, sine qua sapientia praeclarissima ad nihilum redigitur. In omnibus hymnis Graecorum[3]) denique eandem sententiam vivendi habemus; primum cupitur vita laeta, quae est libera laboribus, plena autem divitiarum valetudinis beatitudinis; deinde omnia, quae ad vivendum opus sunt, civibus et rei publicae exoptantur; tum non magni aestimantur res, quae ad morales res spectant (ἐσθλὰ καὶ καλά et ἀρετή). Verbo ὄλβος res morales cum externis coniunguntur. Valetudinem et alienas res non exoptare — ut Epictetus[4]) putat — melius est, quod omnia, quae homines obtinere non possunt, eis consentanea non sunt. Senecam[5]) Lucilium admonere, ut bonam valetudinem bona mente et valetudine animi impetratis roget, supra iam legimus; homines ita agere opus

63) Democr. fr. 189 D.
64) Plat. leg. 3, 688 B.
65) Sen. epist. 20,8; cf. epist. 67,11; 118,4 sqq; vit. beat. 4,3; tranqu. an. 2,3; M. Aurel. 2,13.
1) 7 D.
2) fr. 56 D. Item Clemens Alexandrinus (strom. 4,375) poetam praeponere valetudinem et pulchritudini et divitiis nobis praedicat (fr. 190 A Bgk.).
3) v. Karl Keyssner, Gottesvorstellung und Lebensauffassung im griechischen Hymnus. Würzb. Stud. z. Alt. 2,1932, p. 136 sqq.
4) 4,1,76 sq.
5) epist. 10,4. Ab aliis deis homines valetudinem, ab aliis bonum expetere debent (Demosth. orat. 21,52).

est, ut vitam meliorem vivant quam volgus[6]). "Quid est ergo in quo erratur, cum omnes beatam vitam optent? Quod instrumenta eius pro ipsa habent et illam, dum petunt, fugiunt[7])."

Apud christianos panis, qui nobis a deo datur, per mentem accipiendus est[8]). Postquam in hoc brevi capite de vita et valetudine locuti sumus, unum locum, quo de contraria re agitur, afferre possumus. In tragoedia Aeschyli[9]) quaestio affertur, utrum homines a dis petere, ut caedes hominis caede pensetur, an non deceat.

b) divitiae.

Ad reliqua pergamus, quid antiqui de divitiis et rebus, quae ex illis pendent, senserint. Primus Pindarus[1]) coniungit cum valetudine et nobilitate divitias, quamquam pie temperat. Itaque etiam optimum est simpliciter vivere, quamquam alii aurum agrosque cupiunt, alii modo a civibus amari volunt auro multum valente, alii alia. His versibus lectis cognoscimus, poetae divitias non semper aequi pretii esse. Solo in elegia prima[2]), in qua dicit, quid de divitiis, quas sane non contemnit, sed tamen probe quaeri et recte pendi vult, sentiat, magis suam mentem ostendit. Theognis quamquam divitias, si iuste comparatae sunt, iucunda dona deorum habet, mavult pauperem esse quam peccare[3]). Etiam divitias ipsas orare non vult, sed vitam vivere paucis rebus, quas habet, mavult quam malum esse[4]). Et opes dei hominibus improbissimis ipsis donant, virtutes autem paucissimis[5]). Ita multi mali viri sunt divites et boni pauperes, sed nemo virtutem divitiis permutat[6]). Archilochus[7]) admonet, ne homines divitiis Gygis alliciantur, cui similem sententiam Sappho[8]) fert, quae divitias virtute non comparatas inquilinum nocentem putat. Qua de re eam divitias non permagni

---

6) Sen. epist. 5,2.
7) Sen. epist. 44,7. Aristoteles cupiditatem victuum rem, quam natura cupit, putat (Eth. Nic. 3,13,1118 B).
8) Tert. orat. 6: "Itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo et individuitatem a corpore eius. Sed et quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritalis disciplinae. Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est; cetera enim nationes requirunt." cf. Orig. orat. 27,1.
9) choeph. 121 sqq.
1) Nem. 8,35 sqq. Apertum est, hunc locum cum aliis tabulis, quae commemoratae sunt, comparari non posse.
2) fr. 1 fin. D.
3) 145 sq; 1115 sq.
4) 1155 sq.
5) 149 sq.
6) Theogn. 315 sqq, qui versus a Plutarcho Soloni (fr. 4,9 sqq D.) attribuuntur.
7) fr. 22 D.
8) fr. 92 D.

aestimare scimus. Democrito[9]) cupiditas pecuniae miserior videtur paupertate, quod quo quis plus optat, eo pluribus rebus egeat. Optabiles res Aeschylus[10]) in cantica dua collegit, per quae dicit omnem vitam beatam in possessione divitiarum consistere, cum apud Ennium[11]) legamus:

"Stultus est, qui cupida mente cupiens cupienter cupit."

et apud Catullum[12]):

"et sestertia quae soles precari
centum desine, nam sat es beatus."

Epictetus[13]) eos, qui opes cupiunt, vituperat, quod ii, qui optata non impetrant, infelicissimi homines sint. Item Maximus Tyrius[14]) admonet, ne homines opes sibi exoptent, ut etiam Demophilus[15]) hominibus divitiis opus non esse dicit; ad beate vivendum satis esse, nihil iniuste agere. Martialis[16]) priusquam multas res, quibus gaudere possit, enumerat, primo loco opes hereditate acceptas et agros fertiles, quae res ei optabiles videantur, nominat. Alio carmine[17]) autem paucis rebus ad modeste vivendum contentus esse vult.

Summa capitis fuit cognoscere, divitias hominibus ad cetera additas, quamquam despici non possint, nunquam ipsas expetendas esse.

---

9) fr. 219 D. Aristippus Cyrenaicus id, quod ad voluptatem assequendam necessarium est, bonum esse putat; quales etiam divitiae sunt, quae per se optabiles non sunt (Diog. Laert. 2,8,90 sqq).

10) suppl. 630 sqq; Eum. 916 sqq.

11) scen. fr. 298. cf. Lucil. 203 sq; 806 sq.

12) 23,26 sq.

13) man. 2,1, quo loco auctor subtiliter admonet, ne homines bona externa expetant neve ex iis rebus pendeant. cf. diss. 1,25,23 al. v. R. Bultmann, l. c. p. 100 sq.

14) diss. 11,7 sqq.

15) sent. 16 p. 498 Mullach (Fr. philos. Gr. I); cf. Pers. 3,67 sqq.

16) 10,47.

17) 2,90. Ita ex Martiale cognoscere non facile possumus, quae sententia eius vera fuerit, quod carmina commodis temporis accommodata sunt, ut vitam meliorem vivere possit. cf. Hor. sat. 2,6,1 sqq; de quo loco proximo capite loquar.

B. Quae re vera ab hominibus petantur.

1. commoda externa:

a) divitiae messes cibus vestesque.

Primo capite proximae partis, in qua preces hominum ipsae tractantur, de rebus, quas homines optant, quod ad vivendum necessariae sunt, agemus. Iis in precibus maxime inveniemus, quantopere homines avidi modum excedant. Igitur audiamus, quo modo homines aut divitias aut messem aut vestes aut cibum cupiant. Quod Homerus nulla exempla nobis dat[1]), statim ad Hesiodum et poetas lyricos transeamus.

Preces externarum rerum apud Hesiodum[2]), quamquam messis magna expetitur, esse non puto, quod tota natura rerum penes deos est, qui ea, quae crescunt, adiuvant[3]). Hecata ipsa divitias quoque hominibus attribuit[4]). Graecum verbum ὄλβος hoc loco divitias bonaque externa interpretor neque vitam beatam neque salutem animi, quam interpretationem putari manifestum est in theogoniae versu 974 et operum 319, 321, 326, 379, 637[5]). Eadem Hecata nautas piscatoresque preces facientes adiuvat iisque praedas magnas attribuit[6]), atque pastoribus pecudes armentaque in stabulis et pascuis auget[7]). In elegia prima Solo simpliciter a dis id petit, quod Graeci ὄλβος et δόξα nominant; ὄλβος est hoc loco summa bonorum, quae in hac vita homines magni aestimant. Virtutem (ἡ ἀρετή) autem poeta cum divitiis (ὁ πλοῦτος) commutare non cogitat, quod opes (τὰ χρήματα) ab iisdem dominis non semper possidentur. Quae cum ita consideremus, iam Solonem aliam vivendi rationem adhibere coepisse cognoscere possumus. Verbum ὄλβος in elegia prima[8]) talem vim non habet, ut poeta suae utilitatis studiosus sit, sed ut per divitias amicos adiuvare possit. Divitiae honor virtus sapientiaque, quae fundamenta vitae

1) Paucis locis hymnorum exceptis, quorum in altero bona vivendi appetuntur, in altero Mercurius ipse non sine bonis vivere vult (3, 466; 4,161 sqq Goodwin). Etiam homines in precationibus virtutem cum divitiis coniungunt (15,9; 20,8 al.). cf. schol. ad v 42: in divitiis solis felicitas non est.
2) op. 465 sqq.
3) op. 473 sq.
4) theog. 420. Nuper Fr. Pfister (Die Hecate-Episode in Hesiods Theogonie. Philol. 84,1929, p. 1 sqq) partem hymni Hecatae diligenter destruxit et demonstravit, quo modo hymnus cum theogonia coniunctus sit.
5) Uno loco (v. 637) verba idem valentia: ἄφενος, πλοῦτος, ὄλβος inter se coniunguntur. Incertum est, quid op. 281 hoc verbum significet. cf. de his quaestionibus: M. Heinze, Der Eudämonismus in der griech. Philosophie. Abh. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 8,1 Leipzig 1883, p. 667 sq.
6) theog. 440 sqq.
7) 444 sqq.
8) v. 3 D.

beatae sunt, ad id tempus plurimi aestimatae non sunt[9]). Io Chius[10]) a Baccho in elegia prima, qua commoda voluptatesque, quas vir vinum bibens habet, ponderat, petit, ut sibi liceat et bibere et iocari et τὰ δίκαια φρονεῖν. Una tantum virtus Theognidi[11]) est in orbe terrarum, qua homines divitias assequuntur. Non fortitudinem sapientiam bona corporis appetunt homines, sed divitias, quas res poeta iratus dissimulare non potest. Et finem divitiarum facere non possunt, nam semper semperque alterum tantum, quantum possident, exposcunt[12]). Immoderatio dementiaque augentur.

Hipponactem autem fortuna in ordinem humillimorum hominum expulisse videtur, nam saepe Mercurium, deum furum, in ore habet[13]). Alibi ab eo aurum petit; similiter queritur de auro argentoque[14]). Nunquam Hipponax sorte sua contentus est, cuius mores cognoscere licet, si legimus eum denuo ingemiscere, quo modo in se consulat Plutus, qui sibi nunquam triginta minas argenti dederit[15]). Et bis Hipponax a deo Mercurio vestimenta et calceos petit et aegre fert, quod sibi hieme frigida vagandum sit nulla lacerna vestimento[16]). Aliud Alcaeus[17]) dicit ebrietatem, quam vinum Bacchi praebeat, remedium optimum esse maeroris laborisque. Poeta ipse bene vivere vult. Etiam unum ex scoliis anonymis[18]) non multum opus esse hominibus nisi amare et edere praedicat. Timocreon[19]) vehementer Plutum caecum contemnit, quem omnibus locis, sed non in terris esse vult, nam per divitias omnes homines mali fiunt, cum Timotheus[20]) populo propitias divitias optet.

In fabula de abiete et vepre Aesopus[21]) docet, homines pauperes sine timore vivere posse, divitibus autem coniunctas esse necessitatem et ignominias. Saepissime in canticis, quae chorus in tragoediis Aeschyli cantat pro salute populi, quod unus ex populo aut populus omnis aliquid boni hominibus oppressis attulerit, preces legimus, ut dei messem fecundam faciant et homines magnam rem pecuariam habeant[22]). Sed nullum frumentum ei, qui

---

9) v. M. Heinze, l. c. p. 684.
10) fr. 1 fin. D. Crates (fr. 1 D.) cibum orat, cum v. 10 sqq aliter se habeant.
11) 699 sqq.
12) 227 sqq.
13) fr. 4; 26; 27 D.
14) 35 D.
15) 29 D.
16) 24; 25 D.
17) 91 D.
18) 29 D.
19) 5 D.
20) 6,249 sqq D. Et Apollo Vestaque hominibus opes optatas praebent (Ariston. 1 b fin; 2 a fin.).
21) fab. 125.
22) suppl. 689 sqq; al.

Oedipo Sophocleo non paret, proveniat[23]) et Orestes divitias habens vitam degat[24])! Aurum plus valere orationibus Medea Euripidis putat[25]), pluris autem quam divitiae educatio bona liberorum aestimanda est[26]). In "pace" Aristophanis[27]) dei admonentur, ut hominibus cibum et potionem praebeant qualem antiquis temporibus, et praeterea frumentum vinum divitias.

Socrati[28]) autem ii, qui simpliciter divitias exoptant, vel aleam vel causae iudicium petere videntur, quae omnes incertae sint, ut Charmides[29]) quoque sine dubio nunquam divitias sibi orat. In "convivio" Xenophontis[30]) vir quidam ea de causa messem bonam frugum frumentique exoptat, ut homines sibi meliorem victum praebere possint. Adversariis autem homines malos fructus optant[31]).

Optatio multorum bonorum coniuncta est cum precibus salutis et valetudinis apud Menandrum[32]). Et is, qui feminam divitem cupit, aut ira deorum afficitur aut felix esse vult infelix[33]). Cleanthes[34]) eos homines putat miseros, qui possessiones bonorum appetunt neque leges dei audiunt. In hymno primo Callimachi[35]) divitiae, quae cum virtute coniunguntur, optantur.

Isyllus et Philodamus[36]) a dis petunt, ut oppidis et divitiae et aliae multae res fiant. Idem Theocritus et Moschus[37]) sibi ipsis precantur. Et aliquis sutor mercedem vendens auxilium deorum advocat[38]) et in comoedia quadam Plauti[39]) homines a dis postulant, ut sibi olla auri asservetur. Clarius sententiam cognoscere possumus, si aliquis amico exoptat, ut dei possessiones augeant[40]). Sed etiam homines credunt alios ex cupiditate auri adductos exoptare propinquos fieri[41]), quamquam nimium severum

23) O. R. 269 sqq.
24) El. 1090 sqq.
25) Med. 964 sq.
26) Eur. Jo 485 sqq.
27) 571 sqq; 1320 sqq.
28) Xen. comm. 1,3,2. Eos autem, qui paucissimis rebus indigent, dis proximos esse putat (Diog. Laert. 2,5,27).
29) Xen. conv. 4,33.
30) 4,55.
31) Aeschin. orat. 3,111.
32) fr. 292 Kock.
33) fr. 585 Kock.
34) fr. Stoic. I, fr. 537, 23 sqq v. Arn.
35) hymn. 1,91 sqq. v. K. Ziegler, Zum Zeushymnus des Kallimachos. Rhein. Mus. 68. 1913, p. 350 sq.
36) Isyll. Epid. B 1 sqq; Philodam. Scarph. hymn. in Bacch. 11 sqq (Diehl II, p. 252 sqq).
37) Theocr. 10,42 sq; 18,49 sqq; Mosch. 8.
38) Herond. 7,74 sq.
39) aul. 8; 584 sq; 611 sq.
40) aul. 545 sq.
41) aul. 265 sqq; mil. 714 sq.

est aliquem edere cupere, qui nihil habet[42]). Ita homines omnes divitias expetunt[43]). Alias divitias Cato et ceteri, quos in adnotationibus affero, exoptant, ut frumenta pecudesque augeantur[44]). Fabula Midae[45]), qui cupit omnia, quae tangat, aurum fieri, commemoranda est, per quam nobis divitias saluti non esse ostenditur. In parvis carminibus Martialis etiam ad hanc partem exempla pulchra dantur, ut Iuppiter homini pecuniam petenti respondet, ut aliquando ex homine, qui templum deo aedificaverit, quaerat[46]). Alio loco[47]) poeta homines exoptare dicit, ut dei viro diviti, qui libenter opes pauperibus donat, divitias maiores dent. Apollonius autem a deo petit, ut, quamquam pauca habere velit, tamen nullis rebus careat[48]).

De universis rebus consideranti homines, quamquam a philosophis non discunt, divitias, sive pecuniam ipsam sive thesauros sive fructus sive pecudes exoptare apertum est; neque semper tam acriter fit, ut homines precantes scelesti et cupidi nominari possint. Cupiditate vitam servandi commoti mortales preces plurimas earum rerum ad deos mittunt.

b) auxilium victoria salus interitus concordia pax.

Deinde gravissimum ordinem earum precum, quae aliquo modo res bellicas et salutem attingunt, diligentius considerabimus. Quas preces cum plurimas in carminibus Homeri inveniri apertum sit, celerius cognoscere possumus[1]). Id enim Graeci agunt, ut Troianis victis contumeliam sibi illatam ulciscantur. Qua de causa ad deum confugiunt, a quo ii, qui in angustias adducti sunt,

42) capt. 463.
43) Liv. Andr. trag. 20—22; Plaut. trin. 564 sq; Poen. 1163 sq; Iuv. 9,137 sqq; Lucian. nav. 13; 18. paucis modo hominibus exceptis: Enn. ann. 194 sqq; Lucian. Iup. conf. 1.
44) Cato agric. 83; 134; 139; 141; Verg. ecl. 5,79 sq (cum Servio); georg. 1.155 sqq; Hor. epist. 1,18,111 sq: "Sed satis est orare Iovem quae donat et aufert: det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo". Hor. sat. 1,1,78 et 2,6,8 sqq: poeta pauperrimus hominum bonorum esse vult. Ov. fast. 1,695 sq; 4,745 sqq; Tib. 1,1,24 (messes et bona); cf. autem 1,1,33 sqq et imprimis v. 43 sq:
"parva seges satis est, satis est requiescere lecto,
si licet et solito membra levare toro."
et 2,2,9 sqq. Igitur divitias repudiat, sed deos monet, ut auxilientur.
45) Ov. met. 11,100 sqq; Lucian. nav. 21; Max. Tyr. 11,1.
46) 6,10,1 sqq.
47) 1,99,1 sqq. cf. 12,10: "Habet Africanus milies, tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli."
carm. epigr. 185.
48) Philostr. v.A. I,34,1.
1) v. preces commemoratas apud Beckmann l. c.

adiuvantur, multisque et supplicibus verbis orant, ut causam Graecorum superiorem reddat. Priusquam Aiax ferro cum Hectore decernit, non paucae preces ad Iovem deum optimum fiunt, ut vincat Aiax; at deus si Hectorem amet, ei aequum robur et gloriam det[2]). Summo igitur deo homines eligendi arbitrium permittunt, ne eum, si Hectori fortasse faveat, acerbe offendant. Sed odium etiam valere potest ad optandum, ut hostis victoriam sibi pariat[3]). Proelium ineuntes et pugnantes ipsi misericordiam auxiliumque caelestium deorum petunt[4]). In usum homines mortales preces recipiunt, quae id spectant, ut se tueantur atque se a periculis liberent[5]). Quibus rebus coniunctae sunt eae preces, quae ad robur fortitudinem laudemque sibi pariendam pertinent, ut hostes deleantur omniaque, quae ii diligunt et cara habent[6]) etiamsi illa non ipsa clare dicta sunt[7]). In Odyssea viros, qui in bello fortiter certant, non invenimus. Quae cum ita sint, neque res bello gestas neque preces, quae ad eas res pertinent, legimus[8]). Alius ordo magnus precum, quae in Odyssea sunt, aliquo modo ad procos inimicos necandos spectat. Qua in parte victoria auxiliumque illos homines ulciscendi efflagitantur[9]). Quae preces omnes optime cum eis precibus, quas in ordine precum militarium, quae in Iliade sunt, composui, comparari possunt. Similes preces ex periculis omnibus servandi etiam in hymnis Homericis invenimus[10]). Alius locus[11]) carminis, quod scutum Herculis inscribitur, nobis memoriam affert precum, quae in Iliade multum legi possunt, vincendi et hostem interficiendi. Nec plures poetas lyricos[12]) commemorare possum, qui de precibus et optationibus, quae ad res militares spectant, scripserunt. Maior apud Pindarum[13])

---

2) H 200 sqq.
3) A 407 sqq, 509 sq. Idem magno amore filiae effici potest (cf. A 37 sqq). Breviter hoc loco commemoro Chrysem postea ab Apolline petere, ut perniciem, quam ipse Apollini supplicavit (A 37 sqq), Graecis, postquam ipse filiam recepit, tollat (A 451 sqq).
4) v. multa exempla apud Beckmann l. c.; atque adeo etiam homines ante tela missa optationes ad deos ferunt. cf. E 174 sqq.
5) B 400 sqq al.
6) Δ 288 sqq al.
7) A 37 sqq al.
8) scil. loco uno excepto ω 516 sqq.
9) quas res petunt Ulixes ipse vel propinqui eius vel amici vel multi, quibus praeest (ν 219 sqq; β 143 sqq; δ 341 sqq).
10) 2,20 sqq; 13,3 al.
11) v. 68.
12) Callinus fr. 2 D.; Theogn. 337 sqq; Alc. fr. 17 D.; Crit. fr. 6 D. (et divitiae); Timotheus fr. 11 D.; scol. an. 5 D.
13) Ol. 5,19 sqq. Et in Ol. 1,71 sqq (cf. Hygin. fab. 50 sqq) Pelops ad mare Neptunum rogat atque orat, ut sibi prosit victorem ex curriculo equorum discedere et Hippodamiam comparare. Etiam aliis locis poeta coronam victoriae, quae in certaminibus paritur, magni aestimat (Ol. 8,62; al.).

est numerus earum precum, quae victoribus adhibentur, ut bene vivant et senectutem pulchram habeant. Multis locis[14]) poeta saluti civium et oppidi, ut viris probis exornatum sit, precatur.

Cum impii homines, qui navigantes tempestatibus affligebantur, subito ad deos preces mitterent, Bias[15]) unus ex septem sapientibus eos admonuisse dicitur, ut silentium haberent, ne dei cognoscerent, quales homines in navibus essent. Theognidis autem precatio[16]) animos nostros perfringit, per quam ab Iove postulat, ne liberi eorum innocentes, sed ut homines scelesti ipsi poenas dent. Aliis locis[17]) pacem et divitias oppido supplicat neque bellum malum. Etiam modum Iuventutis (Ἥβης μέτρον) et amorem deorum ad iuste vivendum sibi laboribus omnibus liberato optat[18]). Athenienses Boream advocavisse dicuntur, ut naves barbarorum deleret[19]); et Darius ab Iove Sardibus expugnatis petit, ut Athenienses ulciscatur[20]). Apollinem supplicibus verbis Croesus, qui in rogo est, orat, ut se servet, si unquam donum fecerit[21]). Alio loco[22]) Herodotus Xerxem sole oriente Soli supplicare, ne sibi incommodum incidat, narrat. Simile est Abderitas iuberi in templo petere, ut a dimidia parte calamitatis futurae defendantur[23]). Thucydides Archidamum apud Plataeenses orationem habentem inducit, in qua commemorat, a patribus in eorum finibus Persas victos esse precibus ad deos missis; et eundem deos vocantem facit, ut de auctoribus iniuriarum, quibus Plataeenses afficiuntur, poenam sumant[24]). Quibus dictis scriptores historiarum ad nostram quaestionem non multum conferre cognoscimus, sed per se cognosci potest, homines in bellis periculisque ad deos confugere. Multo plus exemplorum in tragoediis invenire possumus; primum Aeschyli, qui homines inducit nihil tanto opere cupientes, nisi ut hostes interficiant; ut filiae Danai precibus omnibus orant, ut filii Aegypti expellantur et intereant, ipsae autem fugientes serventur[25]); quarum rerum gratiam habentes puellae, quae in terra Argivorum bene acceptae sint, supplicant, ne bella neque seditiones hospitibus

14) Ol. 6,57 sqq; Pyth. 1,67 sqq; 4,293 sqq; Paean. 9,7 sqq.
15) Diog. Laert. 1,5,86; Archil. fr. 12 D.
16) 731 sqq; al.; Archil. fr. 30 D.
17) 885 sq; Timoth. fr. 6 e, 249 sqq; carm. pop. 47,21 sqq (cum valetudine). Semper oppidum in tutela deorum sit (Theogn. 757 sqq et 773 sqq)!
18) 1119 sqq; 1153 sq.
19) Her. 7,189; cf. 8,64.
20) Her. 5,105.
21) Her. 1,87.
22) Her. 7,54.
23) Her. 7,120. Mentionem morum Persarum Herodotus (1,132) facit, eos sibi solis non precari, sed omnibus et regi, ut mos eorum sit.
24) 2,74; cf. 6,32: Priusquam naves e portu exeunt, sollemnes precationes fiunt.
25) suppl. 24 sqq; al.

impendeant[26]. Non multo diversae preces in tragoediis Sophoclis sunt: Hostes vincantur et poenis afficiantur et mala prohibeantur[27]! Oedipus autem sibi ipsi omnia mala exoptat, si in sua domo auctor omnium dolorum sit[28]. Etiam Euripides[29] homines victoriam expetentes inducit et optantes, ut hostes expellantur. Duae preces apud tragicos poetas legimus, per quas vires naturae advocantur. Ne ullae tempestates accidant, homines in "Eumenidibus" Aeschyli cupiunt[30]; atque Sophocles ventum secundum ad navigandum Neoptolemum optantem facit[31].

Iis, qui bellum optant, homines Aristophanis omnia mala petunt[32]; eae autem feminae, quae populo optimum suadent, superiores sint[33]. Apud Hippocratem duae breves adnotationes legimus, quibus dei admonentur, ut auxilientur et mala avertant[34]. Item in operibus Xenophontis optationes sunt, quae ad hanc partem referendae sunt. Vehementer cupiunt optantque homines, ut dis victoriam salutem fortitudinem praebentibus hostes effugiant[35]. Quae cum ita sint, ea omnia milites precantur et deos ante pugnam invocant[36]. Ex oratoribus Graecis commemorandus est imprimis Demosthenes, cuius in orationibus preces, ut hostes deleantur, legimus[37]. Nec minus homines insanabiles pereant et hostes fiant dementes[38]! Quod reliquum est, ut dei eos homines, qui aliquid aut offensi aut gloria ducti faciunt, comprimant[39]. Item est optatio summa, ad quam Demosthenes adducitur, ut res publica servetur, etiamsi saepe hominibus, qui scelesti et nocentes sunt, hoc modo salus affertur[40]; atque nullo tempore tantae insaniae sint, quanti triginta viris imperium tenentibus fuerunt[41])! A dis auxilium in

---

26) suppl. 625 sqq; al.
27) Ai. 387 sqq; al. Imprimis in "Electra" tales preces legere possumus (110 sq; 209 sqq; 411 al.).
28) O. R. 249 sqq.
29) Nam una cum dis homines victoriam adipiscuntur, sed dis non adiuvantibus mortales male se habent (Med. 764 sqq al.). Euripides putat homines prudentes in ludis Graecorum victores quam in rebus publicis principes esse malle (Hipp. 1016 sq). Vita coronis coronata exoptatur (Iph. T. 1497 sqq; Or. 1692 sqq; Phoen. 1764 sqq). Si autem dei meliores res sciant, eas faciant (Phoen. 1200 sqq)!
30) 937 sqq.
31) Phil. 468 sqq; 779 sqq. cf. Aristoph. Ach. 509 sq; vesp. 323 sqq.
32) pax 441 sqq; 447 sqq.
33) Thesm. 295 sqq.
34) περὶ διαίτης 4 c. 89 fin. (ed. Littré VI, p. 652). epist. 17,4 Hercher.
35) Xen. Cyr. inst. 5,2,12; hist. Gr. 2,4,17; al.
36) Xen. Cyr. inst. 5,1,29; 6,4,20.
37) orat. 8,20; al.
38) orat. 14,39; 18,324; 54,16.
39) prooem. 31.
40) orat. 6,37; 9,65; 19,256; 20,49.
41) orat. 24,57.

rebus omnibus petendum est[42]). Magni philosophi Graecorum paene nulla exempla dant. Ex Platone audimus: dei bellum et seditionem arceant, quae optima non sint[43]). Alio loco[44]) parentes, qui liberis suis animum fortem exoptant, novimus. Ceterum homines a dis in libris Platonis petunt, ut auxilientur hominibus, qui aut in periculo versantur aut oppidum instituunt[45]).

Menander autem homines optantes, ut inimici, qui malum fecerint, interficiantur, sibi autem tutelam et salutem a dis, qui possunt, expetentes inducit[46]). Ut homines a malis liberentur, preces et sacrificia ad deos mitti Theophrastus iubet[47]). Callimachus[48]) Cererem advocat, quae rem publicam concordia contineat. Homines bonum exitum et salutem et auxilium optantes Apollonius Rhodius facit[49]).

Oculos vertamus ad poetas Romanos et tragoediarum et comoediarum, quot preces homines ad deos mittant, ut se servent et inimicos perdant[50]). Polybius nos certiores facit mulieres Romanorum, dum Hannibal ante portas est, in templis deorum vota facere et crinibus lapides ararum verrere, ut mos fuerit[51]). Ut hoc loco salus a dis expetitur, ita aliis locis[52]) et pax et calamitas. Quam immodice cupiditas vivendi animos hominum regat, quaestionem Lucretius affert[53]). In tempestatibus homines deos timent et salutem pacemque exoptant, etiamsi frustra student[54]). Quis miratur, quod in orationibus Ciceronis[55]) multa exempla legamus homines in omnibus periculis et commodis vitae se ad deos convertere?

Rursum apud magnos poetas Romanorum reperimus preces, quae ad deos mittuntur, ut homines sibi gratiam auxiliumque, hostibus autem incommoda afferant, imprimis apud Vergilium[56]).

---

42) Demosth. orat. 18,238; epist. 1,16; Lys. orat. 18,18; 25,22; Lycurg. orat. 1,143; Antiph. orat. 6,45; Isaeus orat. 8,16.
43) leg. 1,628 C.
44) Men. 247 D.
45) leg. 4,712 B; 9,854 B; epist. 7,331 D. Aristoteles honorem et victoriam, quae in iuventute accipiuntur, pluris aestimandam esse praedicat quam aurum (rhet. 2,12,1389 A).
46) Epitrep. 207 sq; 523; Col. 23 sq; Pericir. 313 sq; fr. 292 Kock.
47) Porph. abst. 2,24.
48) h. 6,134 sqq; Isyll. Epid. B,1 sqq; D,1 sqq; Philodam. Scarph. in Bacch. v. 11 sqq D.; Hermocles ad Cer. v. 21 D.
49) 1,247 sqq; 4,228 sqq; 585 sqq.
50) Naev. com. 19; Plaut. aul. 394 sqq; al.; Caec. Stat. com. 114; Ter. Andr. 487 sqq; al.; Enn. scen. 177; Pacuv. trag. 219 sq; Acc. praetext. 5 sq; Turpil com. 139 sqq; Afran. tog. 83; trag. inc. 159; al.
51) 9,6,3; cf. Caes. civ. 2,5,3; Sall. Cat. 31,3; Dion. Hal. ant. 8,39.
52) 4,74,3; 15,29,9.
53) 3,1076 sqq.
54) Lucr. 5,1218 sqq; Diodor. 4,43.
55) Mur. 1 sq al.
56) Aen. 2,687 sqq; al. (Ad Aen. 1,731 et 4,50 cf. Lehr l. c. p. 22 atque ad 4,382 sqq cf. E. Penquitt, De Didonis Vergilianae exitu. Diss. Königs-

Pro principe precationes singulares habemus, ut ille diuturnum tempus saluti populi vivat[57]), quibuscum saepe coniunctae sunt preces pro valetudine populi ipsius et victoriis legionum. Post eas statim preces pacis commemoramus[58]) et optationes bene navigandi[59]).

Nonnullas parvas res ex ordine eorum poetarum addere possum. Iovis auxilium advocatur ad telum mittendum in Aeneide Vergilii[60]), qui etiam narrat, quantopere nautae ventum exoptent[61]), cum Horatius[62]) tempestatibus maris oppressus nunquam petat, ut di merces conservent, et Ovidius[63]) nobis preces nuntiet, per quas a Iano concordia expetitur.

Apud Livium[64]) semper semperque easdem preces auxilii salutis victoriae pacisque invenimus, cum apud Tacitum[65]) precationes modo pro salute principis commemorandae sint.

Pulchrum exemplum virtutis Romanorum Plutarchus praebet: Camillus et Antonius vitam profundere malunt, quam ut invidiosi dei urbem patriamque ulciscantur[66]). Camillus si innocens ex urbe expellatur, optat, ut Romanos paeniteat[67]), cum Aristides, ne unquam tempus sit, quo Athenienses sui meminisse debeant[68]). Praeterea Plutarchus etiam homines inducit, qui auxilium salutemque petunt[69]).

berg 1910 p. 15 et 58 sqq) cf. Catull. 63,91 sqq; Hor. ep. 5,1; ep. 10 (Archil. fr. 79 D.); Ps. Tib. 3,6,1 sqq; Ov. met. 1,375 sqq; epist. 2,17 sq; al; et cf. carm. Arval.

57) Catull. 34,21 sqq; Verg. georg. 1,498 sqq; Hor. carm. 1,35,29 sqq; Prop. 3,4,19 sq; Ov. fast. 1,613; Tert. Apol. 35,7 (FPR. p. 133 Morel); al.

58) Verg. Aen. 4,56 sqq; Tib. 1,10,25 sq, 67 sq; Grattius v. 437 sqq PLM II 1 p. 20 Vollmer.

59) Hor. carm. 1,3,1 sqq (pro Vergilio); Aem. Mac. fr. 4 (p. 107 Morel); Prop. 3,21,17 sq; inc. ad Oceanum v. 13 sqq (PLM. III, p. 165 Baehrens).

60) 9,621.

61) georg. 1,434 sqq.

62) carm. 3,29,57 sqq.

63) fast. 1,65 sqq.

64) 1,12,5; 5,21,3; 32,9; 6,20,9; 10,9,17; al.; item ap. Sen. Med. 531 sqq; Oed. 975; Herc. f. 926 sqq; al. (cf. cons. ad Helv. 10,2: "Di istos deaeque perdant quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit."). cf. Val. Flacc. 1,81, 267; Sil. Ital. 1,639 sq al.; Stat. Theb. 4,752 sqq al., qui poeta nobis praeterea exempla precum dat, in quibus homines vires (Theb. 7,728 sqq) et bonam navigationem (silv. 3,2,1 sqq) et lucem (Theb. 4,473 sqq) appetunt.

65) ann. 3,47; 4,17; cf. acta fr. Arv. De. 5032 sqq; Aristid. orat. 3,28; Vell. 2,131; Mart. 11,4; Plin. paneg. 67,3 al., ut imperatori aetatem quam mereret, animumque di praeberent (28,6), petivit, quod talem et "tandem exorata terris numina dedissent" (5,1). v. Paneg. Lat. 12, 26.

66) Cam. 5,7 sq; Anton. 44 fin. cf. Val. Max. 5,10,2, de Aemilio Paulo idem dicit.

67) Cam. 12 fin.

68) Arist. 7 fin.

69) Brut. 13 fin. al.

Myrrha, quod Venerem non coluit, a dea poena afficitur, ut patrem amet, et scelere facto deam orat, ut interficiatur[70]). Epictetus vituperat hominibus externas res modo curae esse[71]), quamquam nemo eis dicere possit, utrum mala cupierint an bona[72]). Eodem modo in operibus Luciani et Apulei homines, ut a periculis liberentur, deos precantes cognoscimus[73]). Darius ab Iove petit, ut sibi regnum, quod dedit, servet[74]). Verba precum[75]) quas Atheniensibus mos est afferenda sunt:

„ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων.' ἤτοι οὐ δεῖ εὔχεσθαι ἢ οὕτως, ἁπλῶς καὶ ἐλευθέρως."

Ad quae verba M. Aureli nihil me addere debere puto.

Postremo magnus ordo precum, quarum plurima exempla Homerus in Odyssea praebet, enumeretur: desiderium patriae reditusque. Ulixes patriam uxorem filiumque videre cupit, qua de causa non miramur eum iterum iterumque a dis expostulare[76]). Etiam propinqui servi pastoresque idem concupiscunt[77]), item amici eiusque hospites. Ulixes errans[78]) a dis omnibus per preces vehementissimas petit, ut eos misereat viri, qui naufragium fecit atque in terram ignotam Phaeacum illatus in angustias summas adductus est, ut homines omnes facere solent. Polyphemus autem, qui odium acerbissimum in Ulixem inimicum habet, a Neptuno petit, ne ille in patriam redeat[79]), idem proci adoravisse possunt[80]). Atque Sappho[81]) vehementer a Nereidibus petit, ut fratrem suum integrum redire sinant. Omnia, quae antea acciderint, ex animo suo sese eicere velle, si frater flagitium culpamque redimat. Cuius rei potestatem sibi dei faciant! Similes preces reditus in tragoediis et carminibus et Graecorum et Romanorum invenimus[82]).

70) Ov. met. 10,481 sqq; Apollod. bibl. 3,183 (Myth. Gr. 1 ed. Wagner); Anton. Lib. 34.
71) 2,16,11 sq; Max. Tyr. 11,7 sq.
72) 3,18,1 sq.
73) Lucian. Luc. seu as. 23; pisc. 21; Apul. met. init. al.
74) Arr. anab. 4,20,3.
75) M. Aurel 5,7
76) ϑ 464 sqq; κ 483 sqq; μ 333 sq; ν 42 sqq; ο 180 sq.
77) φ 200 sq al.
Huius temporis mores ad eius modi lenitatem, qualem in Iliade non invenimus, incumbunt, ut domini ipsi precationes inferiorum hominum suis optationibus firment (cf. ξ 53 sqq al.).
78) ε 450; ζ 324 sqq. Uno autem loco sine causa Ulixes ultionem Iovis in Phaeaces precatur se in terra ignota ab eis expositum esse opinatus (ν 213 sq). Phaeaces Neptunum obsecrant obtestanturque, ut ex interitu serventur (ν 185 sqq).
79) ι 528 sqq.
80) χ 321 sqq.
81) fr. 25 D.
82) Pind. Pyth. 4,293 sqq; Aesch. Pers. 215 sqq; sept. 63 sqq; Soph. El. 110 sqq; Eur. El. 589 sqq; Apoll. Rhod. 1,247 sqq; Ps.-Tib. 3,3,27; Ov. epist.

Si singulos locos ipsos legerimus, optime homines, qua ex causa et bona et mala optationes faciant, cognoscimus.

c) amor.

Deinde videbimus, quo modo homines sibi aut suis aliquem hominem cupiant, quocum amore coniuncti vivere volunt[1]).

Alcinous talem virum qualem Ulixem generum suum fieri vult[2]). Nausicaa autem, cum in oppidum cum Ulixe eat, libenter tales sermones defugere vult, ut deum de caelo maritum sibi precata sit[3]). Sapphus fragmentum primum est singulare, in quo nihil mavult nisi Venerem animum suum non premere, sed venire, ut omnem exspectationem diuturni desiderii expleat, nam totiens amores petentem adiuverit. Frdr. Schwenn[4]) putat, eas non sinceras preces esse, sed desiderium precibus conceptum, quocum consentire non possum. Certe hoc carmen ad sacra non pertinet, quibus Graeci proprias optationes non proferebant[5]). Ut omnibus hominibus ea, quae amant, pulcherrima sunt, ita Anactoria, si faciem eius splendidam videt. Reliquiae sequentibus verbis[6]) subito abrumpuntur:

„εὖ μὲν ἴδμεν οὐ δυνατὸν γένεσθαι
τοῦτ' ἂν ἀνθρώποις, πεδέχην δ' ἄρασθαι."

Etiam puella maritum exoptat, ut Alcman narrat[7]). Multas optationes hominum ex scoliis anonymis cognoscimus, ex quibus legimus, quid homines fieri velint, vel lyra, ut a pueris pulchris ad chorum feratur[8]), vel res pretiosae, ut a puellis amabilibus gerantur[9]), vel etiam rosa, ut in pectore niveo infixa sit[10]). Etiam Pindarus nobis tradit puellas vincentem cupere maritum aut filium, quot annos quisque natus sit[11]). Et Pelops ipse a Neptuno petit, ut Hippodamiam sibi pariat[12]). Etiam homines amore fraterno ita affecti esse possunt, ut una cum fratre moriatur, quo modo alter Dioscurorum ab Iove petit[13]).

1,101 sq; Sen. Herc. f. 299, al. Etiam apud Martialem (9,90) votum fit, si iuvenis quidam salvus redierit. cf. Claud. carm. 7,33.

1) v. Rich. Dedo, De antiquorum superstitione amatoria. Diss. Gryph. 1904.
2) η 311 sqq.
3) ζ 280 sq. Etiam in hymnis (2,135 sqq, 220; 3,332 sq) viri iuvenes et liberi petuntur.
4) v. Fr. Schwenn, Gebet und Opfer. Relig.-wiss. Bibliothek VIII, Heidelberg 1927, p. 57.
5) v. U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Sappho und Simonides. Berlin 1913, p. 42 sqq.
6) fr. 27 a D.
7) fr. 16 D.
8) 17 D.
9) 18 D.
10) 26 D.
11) Pyth. 9,97 sqq.
12) Ol. 1,71 sqq; Hygin. fab. 50 sq.
13) Nem. 10,75 sqq.

Singulares preces modo, quas in hoc capite commemoro, in fabulis Sophoclis invenimus, et Oedipus quidem eum, qui regi non paret, nullos liberos nancisci cupit[14]); optationem, per quam mater liberis et bonum virum et uxorem exoptat, apud Euripidem habemus[15]).

Ut Thebani semper cognatos oderint neque se sanguine suorum saturent, Demosthenes intimis precibus supplicat[16]). Alio loco[17]) ex eo audimus Eubulidem sibi heredes viriles exoptare, cum ex Ps.-Platone[18]) cognoscamus homines multos ad calamitatem suam liberos expetere, quod alii mali fiant, alii multum malarum rerum sustineant. Aristoteles[19]) non miratur, quod iuvenes amorem exoptent. Nonnullae preces in carminibus Theocriti[20]) inveniuntur, quibus dei deaeque admonentur, ut amorem praebeant. Venus dea etiam ab hominibus comoediarum Romanarum omnibus, qui Graecos imitantur, adoratur[21]). Itaque non miramur, quod saepe poetarum aliorum Romanorum locos inveniamus, quibus a dis petuntur, ut homines amentur in omne tempus neque unquam dolorem fraudis cognoscant[22]). Turpe votum, quod ter magis magisque augetur, apud Petronium[23]) habemus, ut aliquis puerum possideat, cum Charito[24]) hominem a Venere petentem inducat, ut donum puellae, quam illa sibi ostenderit, reddat. In epistula quadam Aristaeneti[25]) Chrysis se servum amare scribens deos ad auxiliandum advocat, cum apud Martianum Capellam[26]) preces ad Iunonem ante nuptias factas legamus.

---

14) O. R. 269 sqq.
15) Alc. 162 sqq, nam idem poeta vitam nostram amore moderatam quietam et pulchram esse putat, qua de causa Venus discordias matrimonii componat (Iph. A. 543 sqq; Med. 635 sqq). Etiam in comoediis mater filiae nullum virum exoptat nisi divitem stultumque (cf. Aristoph. Thesm. 284 sqq).
16) orat. 20, 109.
17) orat. 43,12.
18) Alc. II 142 B.
19) Eth. Nic. 3,13,1118 B; Rhet. 2,12,1389 A.
20) id. 2,10 sqq; epigr. 4,13 sqq al.
21) Plaut. Curc. 147 sq; Poen. 452; Ter. Phorm. 658; Laev. fr. 26 Morel. Homines etiam deos precantur, ut a libidinibus malis liberentur (Catull. 76,17 sqq; Prop. 3,17,1). Imprimis senes amorem non iam cupiunt (Hor. carm. 4,1,1 sqq; al.).
22) Catull. 109,3 sqq; Verg. ecl. 8,17 sqq; Hor. carm. 1,30; Tib. 2,6,13 sqq; Prop. 1,4,25 sqq; Ov. am. 3,2,55 sqq; Sen. Phaedra 415 sqq; Mart. 11,53.
23) 85 sq.
24) 3,6.
25) 2, 15.
26) 2,149.

d) valetudo et vita laeta.

Ut precibus, quas praecedentibus capitibus enumeravi, a dis auditis homines fruantur, eis iuventute et valetudine opus est. Ita fit, ut talia mortales optent. Nestor Peleum animo fingit petentem[1]), ut sibi iuventus viresque fiant, qui ipse fortiter in proeliis egerit; eadem de causa Laertes iuventutem redire cupit[2]). Magis generaliter Dionysius minor in paeane in Aesculapium[3]) preces facit, ut tyranno vitam laetam det. In elegiis Anacreontis[4]) optationes hominum cognoscimus, ut iucunde vivant et in hymno Alcmanis[5]), ut dei senectutem extrahant, cum apud Bacchylidem[6]) legamus deos ab hominibus obsecrari, ut laborum finem faciant. Pindarus ab Iove pudorem et laetitiam dulcem postulat[7]); et alio carmine[8]) Parcae monentur, ut voluntati viri, qui vitam beatam et honestam atque capillum canum cupit, obtemperent. Stulti autem sunt ex sententia Democriti, qui Ditem timentes vitam invisam vivere velint[9]) aut qui cupiant non brevem vitam degere, nisi etiam ea gaudent[10]). Imprimis iuventutem dei tueantur[11]), homines, quos Aeschylus habet, petunt. Omni tempore duces principesque gignant duces succedentes[12]); fractum genus autem dei erigant[13])! Item Orestes Sophocleus gentem refici vult[14]). Diversae preces eiusdem modi sunt in fabulis Euripidis, ut Alcestis miserabiliter liberis vitam longam et pulchram exoptat[15]) vel Iolaus efflagitat, ut modo unum diem iuvenis fiat et hostes punire possit[16]). Vel genus Erecthei denuo floreat[17])! Antiphon[18]) homines vota facientes habet, ne lite commixta omnes res amittant, quae ad vivendum necessariae sunt.

---

1) H 132 sqq.
2) ω 376 sq. In hymnis homines bene et iucunde vivere cupiunt (2,500 al.); etiam vitam longam et immortalitatem et iuventutem viri optant (5,102 sqq). Hoc loco breviter similes locos in hymnis Orphicis et Procli septimo in memoriam reduco. cf. schol. ad B 400 sqq: „ἀλλ' οἱ μὲν εὔχοντο μόνον τὸ ζῆν (ἤρκει γὰρ αὐτοῖς), ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ εὐκλεῶς ζῆν.
3) fr. 1 D.
4) fr. 105 D.
5) fr. 66 D.
6) 14 (15), 45 sq.
7) Ol. 13,114 sq.
8) Isthm. 6,14 sqq.
9) fr. 199; 205 D.
10) fr. 201 D.
11) suppl. 685 sqq.
12) suppl. 674 sq.
13) choeph. 262 sq; 806 sqq.
14) El. 67 sqq.
15) Alc. 167 sqq.
16) Heraclid. 849 sqq.
17) Io 468 sqq.
18) orat. 6,1.

Porro dei semper semperque ab hominibus mortalibus monentur, ut vitam longam ad senectutem summam et iuventutem integram dent[19]. Ciceronis[20] autem sententia Stoica est reliquum senectutis avide adpetendum non esse. Vitam bonam honestamque in orationibus Himerius et imperator Iulianus[21] appetunt. Eandem vitam exoptatam in hymnis Synesii[22] invenimus, qui vitam ignotam et culpa vacuam et morbis et divitiis carentem degere vult, sapientiam modo possidens.

Ab Ariphrone[23] hymnus in Hygiam, sine qua nihil beatum nominari possit, scriptus est, quae multis verbis admonetur ut maneat. Bacchylides[24] Proetum a Latona petentem inducit, ut liberos amentes sanet; et in carminibus popularibus[25] Aesculapius adoratur, ut morbum repellat. Pindarus[26] de valetudine non multum dicit, nam ei necessaria secundum naturam est, cum Democritus[27], quamquam omnes voluptates ventris breves sint, indignetur semper concupisci. In una ex fabulis Aesopi[28] vir quidam aegrotus deos orat, ut sanus fiat, et aliquid promittit, quod ab eo effici non potest. Etiam poetae tragici[29] homines valetudinem optantes et morbos perniciosissimos timentes inducunt. Praeter alias in comoediis Aristophanis[30] preces severiores sunt, quas Bdelycleo facit, ut Apollo animum obscurum patris tollat. Xenophon exempla optationum hominum praebet, quo modo valetudinem viresque et salutem frigoris petant[31]. Optabile apud oratores Graecos[32] est vel valetudinem vel mortem, quae honestior sit quam turpiter vivere, assequi[33]. Sed ipsorum modo causa homines precantur, ut alantur et sustineantur[34]. Contra Plato valetudinem putat paulo minus bonum, quam sequuntur pulchritudo, deinde vires cor-

19) Hor. epist. 1,18,106 sqq; Ov. met. 7,215 sqq; Sen. epist. 101,10—13; ben. 2,30 (Timor moriendi homines cogit, ut miserabiliter vitam deplorent); Stat. silv. 3,4,99 sqq; Mart. 13,4; 8,53 (Catullam cupit minus formosam aut magis pudicam esse); Plin. paneg. 28,6; Plut. quaest. conv. 3,6,4; al.
20) Cat. mai. 20,72 sq.
21) Him. 1,21; Iul. orat. 4,158 B sq.
22) 1,29 sqq.
23) Similem hymnum apud Licymnium invenimus, de quo hoc loco non dicam (fr. 4 A,B).
24) 10 (11), 95 sqq.
25) 47, 21 D.
26) Pyth. 3,73.
27) fr. 235 D.
28) fab. 49.
29) Aesch. suppl. 656 sqq; Eum. 956 sqq; Soph. O. C. 642.
30) vesp. 875 sqq; 885 sqq.
31) oec. 11,7 sqq; exp. Cyri 4,5,3.
32) Demosth. orat. 21,52; Is. orat. 8,16.
33) Isocr. 4,95.
34) Demosth. 5,17.

poris, tum eae divitiae, quae caecae non sunt[35]. Etiam apud Menandrum[36] comicum poetam valetudo exoptatur et Isyllus[37] ad deos preces mittit, ut civibus Epidauri patriae valetudinem praebeant.

In operibus poetarum Romanorum imprimis cum Aesculapius tum alii dei adorantur, ut homines aegrotos sanent[38], quibus in precibus primum locum precationes, quae pro puellis amatis ad deos mittuntur, obtinent[39]. Sane quidem saepe homines turpia vota faciunt, cum bona velint, ut mater per vota, quibus filius aegrotissimus in Tiberi gelido lavetur, deos commovere conatur, puerum re vera morti prodit[40]. Simili modo multi homines ob valetudinem deos precibus supplicibus adorant, impetratam ratione vivendi delent[41]. Alias preces Martialis[42] narrat aliquem amico aegroto a dis valetudinem petere, deinde autem votum facit, ut preces priores reiciantur.

Hercules ab Iove petit, ut uxor Telamonis pariat filium, qui fortis vir fiat neque vulnerari possit[43]; et poetae tragici[44] orant, ut dei mulieribus parientibus adsint; item Callimachus[45], cum Aristoteles[46] in "re publica" feminis gravidis praescribit, quem ad modum cotidie valetudinis causa ad templum eant, ut auxilium deorum ad pariendum invocent. Apud poetas Romanos[47] persaepe leguntur advocationes Lucinae et aliarum dearum, ut feminis auxilientur.

---

35) leg. 1,631 C. Primum locum prudentia obtinet.
36) fr. 292.
37) B,1 sqq; D,1 sqq D.
38) Ter. Hec. 338; Petron. 61; 88; Val. Flacc. 5,17; Marinus Vita Procli 17, p. 40; cf. Val. Max. 2,5,6; Febris colitur "ad minus nocendum". Ad diem natalem carmina spectantia v. Wilh. Schmidt, Geburtstag i. Altertum. RGVV. 7, 1908.
39) Tib. 3,10,1 sq. Puella aegrota dis, qui placari possint, supplex esse iubetur (Prop. 2,28,31 sqq), al.
40) Hor. sat. 2,3,288 sqq.
41) Democr. 234; Pers. 2,41 sqq; Philostr. v. A. 1,9; Diog. ap. Stob. 3,6,35 p. 239 sq W.-H.; Clem. Alex. strom. 7,4,25,5.
42) 12,90.
43) Pind. Isthm. 6,41 sqq.
44) Aesch. suppl. 676 sq; Eur. Hipp. 161 sqq.
45) hymn. 3,20 sqq.
46) rep. 7,16,1335 B.
47) Plaut. aul. 692; Verg. ecl. 4,8 sqq; Hor. carm. 3,22,1 sqq; Prop. 4,1,101; Ov. fast. 2,451 sq; al. Ad Ter. Andr. 232 sq: cf. O. Weinreich (Gebet und Wunder. Tüb. Beitr. z. Alt.-Wiss. 5, Stuttgart 1929, p. 169 sqq), qui has preces, quae ad res familiares secundas spectent, non tam parvi aestimandas esse putat, quam illas preces impias et scelestas, quas saturae alterius v. 9 sqq Persii legimus; nam per malum, quod ancilla aliis optat, non sibi ipsi prodesse vult. Semper ab antiquis probatum est, si aliquis calamitate afficiendus esset, ita petere, ut magis alii quam sui afficerentur.

Etiam preces simulatas huius modi habemus. Apud Aristophanem[48]) Lucina partum, qui simulatur, extrahat, ut femina ad locum opportunum adveniat.

Rursus amor hominis, quo se ipsum amat, eum commovet, ut a dis petat vitam et valetudinem. Sed etiam cognoscere debebamus in hoc capite multos locos inveniri, quibus pro aliis hominibus optationes bonas dici.

e) mors.

Sed non modo valetudinem vitamque tutam homines omnibus temporibus cupiunt, sed etiam mortem. Penelopa[1]) anxia exorat mortem ipsam, quam etiam Laertes constanter exposcit, ut Eumaeus Ulixi narrat[2]). Et iterum Penelopa, ut tam mollem mortem, qualis somnus sit, habeat, petit[3]). Quod vita sine amore non valet, ita etiam apud Mimnermum[4]) fit, ut senex mortem sibi optet. Nota sunt verba Theognidis[5]):

„Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
μηδ᾽ ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου·
φύντα δ᾽ὅπως ὤκιστα πύλας ᾽Αΐδαο περῆσαι,
καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον,“

Aesopus[6]) nobis narrat, quo modo senex nimio labore fractus mortem sibi desideret, morti apparenti excusatione utatur, qua de causa eum advocaverit. In tragoediis quoque Aeschyli homines vita vexati mortem optant, ut Io et Orestes mori malunt altera quam mente capta vivere, alter quam uxorem, qualis sit mater, possidere[7]). Tales preces permultas in fabulis Sophoclis invenimus, ut homines sibi aliisque mortem exoptent vindicandi et puniendi causa[8]). Etiam res, quae cum morte cohaerent, expetuntur, ut Aiax precatur, ut sibi mortuo fiat nuntius, qui propinquos certiores faciat, et lectum mollem Mercurius sibi sternat[9]); vel chorus petit, ut sine doloribus Oedipus moriatur[10]). Si Helenae Euripideae[11])

---

48) Lys. 742 sqq.
1) υ 61 sqq.
2) ο 353 sq.
3) σ 202 sqq.
4) fr. 1 D.
5) 425 sqq. v. Bergk adn.: fuerunt antiqui versus, quos Midae Silenus ferebatur olim dixisse: „᾽Αρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, φύντα δ᾽ὅπως ὤκιστα πύλας ᾽Αΐδαο περῆσαι“ quos imitatur Theognis. cf. Soph. fr. 329; O. C. 1224 sqq. v. E. Rohde, Psyche. 6. Aufl. Tübingen 1910. II, p. 200 et id. Der griech. Roman. 3. Aufl. Leipzig 1914, p. 220.
6) fab. 90; 90 b.
7) Prom. 578 sqq; choeph. 1005 sq.
8) Ai. 387 sqq; O. R. 269 sqq; al.
9) Ai. 823 sqq.
10) O. C. 1556 sqq.
11) Hel. 1093 sqq.

moriendum sit, a Iunone petit, ut in patria moriatur. Etiam mortem mavult homo quam expelli ex patria[12]); et Hippolytus vivere non vult, si sceleste agat[13]). Item apud Xenophontem[14]) homines mori malunt quam male vivere. Demostheni[15]) melius esse videtur mori quam Philippo servientem blandiri.

Nonnullos locos ex operibus Ps.-Platonis commemorare possumus, quibus homines optimi a dis celeriter ex vita removeri narrantur ut Agamedes et Trophonius et Cleobis et Bito[16]). Qua de causa leges id agant, ut ei homines, qui sine vitiis vivunt et deos pio animo colunt, mortem pulcherrimam habeant[17]). Apud comicos poetas Romanorum[18]) alius mori mavult quam inhoneste servire, alius quam eludi, alius quam a lenone dolores accipere, alius quam senem fieri. Myrrha[19]) a dis poenis affici cupit, ut neque vivat neque moriatur. Novi amici seni mortem exoptant[20]), cum Philemo et Baucis sibi mortem communem optent[21]).

f) consilium honor gloriaque.

Porro in numerum illarum precum a nobis eae referri possunt, quae pertinent ad consilium honorem gloriam beneficium favorem veniamque deorum.

Iam Homerus[1]) homines petentes, ut dei consilium praebeant, inducit; item Anacreon[2]) Bacchum optat, ut Cleobulo amico suo socius et omnium consiliorum administer sit.

In Odyssea[3]) autem Minerva ipsa, quae hominibus in persona Mentoris apparet, a Neptuno petit, ut honos Nestori, Telemacho sibique bonus finis propositi fiat. Et Hecata est adiutrix omnium rerum potens, cui etiam piacula fiunt, atque ei, — ut Hesiodus[4]) putat — cuius preces dea propitia audivit, honorem attribuit. Etiam in tragoediis Aeschyli[5]) honos exoptatur et Theocrito[6]) iucundissimum est, honorem et amorem hominum possidere et piis placere.

---

12) Med. 648 sq.
13) Hipp. 1191.
14) comm. 1,6,4.
15) orat. 9,65; 18,205.
16) Axioch. 267 C.
17) epinom. 980 B.
18) Plaut. aul. 50 sq; cist. 662 sq; rud. 684; Ter. Phorm. 162 sqq.
19) Ov. met. 10,481 sqq; Anton. Lib. 34; Apollod. bibl. 3,183 (Myth. Gr. I, ed. Wagner).
20) Mart. 4,77; 11,44.
21) Ov. met. 8,703 sqq.
1) A 85 sqq al.
2) fr. 2 fin. D.
3) γ 55; 64.
4) theog. 416 sqq. Qui autem homines carissimi deae sunt, super alios in contionibus et in iudiciis eminent (theog. 430; 434).
5) suppl. 625 sqq.
6) id. 16,60 sqq.

Rursus ab Homero incipere debemus, si legimus Nestorem supplicare, ut sibi suisque gloriam favoremque dei dent[7]. In elegia prima Solo[8]) a dis petit, quod graece δόξα ἀγαθή nominatur. Id autem, quod optimi — ut Heraclitus[9]) putat — omnibus ceteris praeponunt, est κλέος ἀέναον θνητῶν. Sed etiam optimi soli! Quae cum ita sint, gloria Heraclito expetenda est. Item apud Aeschylum et Euripidem[10]) semper homines contendunt, ut alios modestia superent atque gloriam honoremque accipiant[11]), ut etiam parentes filiis gloriam exoptant[12]). In carminibus Ovidii[13]) optationes hominum habemus, quem ad modum homines famam petant, quae diuturnior sit se ipsis. Et per incerti versus[14]) certiores fimus de cupiditate gloriae, quam Commodus habuit, quod nomine Herculis nominari maluit, quam Antonini ea de causa, qua deus clarior sit principe.

Benefiicium deorum Nestor Homericus[15]) in extrema oratione in Achillem habita devocat. In hymnis[16]) saepe gratia deorum advocatur. Comprecationes, quas Hector pro filiolo fundit, sunt ad permovendum aptae et vehementes, quae recte vividae nominandae sunt[17]). Naucratem, Aeschyli filium, Anacreon[18]) petentem facit, ut Apollo precibus auditis sibi faveat, quam gratiam deorum etiam Pindarus[19]) exoptat. Quinto libro historiarum Thucydides Athenienses Meliosque inter se colloquentes facit. Quo loco[20]) Melii maligne affirmant deos se victos non sinere. Quibus verbis Athenienses etiam sibi deorum benevolentiam favoremque non deesse respondent, quod nunquam aliquid contra morem ritumque religionis fecerint[21]). In tragoediis[22]) saepe cum precibus donandi et auxiliandi coniunguntur preces et gratiae et favoris. Unus locus in operibus Xenophontis[23]) plurimi aestimandus est: dei advocantur, ut hominibus aliquando demonstrare liceat se quoque fideles amicos esse. Etiam Callimachus[24]) a Diana petit, ut sibi gratiam

---

7) γ 380 sqq.
8) v. 4 sqq D.
9) fr. 29 D.
10) Aesch. Eum. 903 sqq al. Tamen homines, quos Euripides inducit, gloriam neque magnam neque parvam neque dolores neque curas concupiscunt (Hipp. 1111 sqq).
11) Demosth. orat. 60,2.
12) Ps.-Plat. Menex. 247 D.
13) met. 14,729 sqq.
14) FPR. p. 153 Morel.
15) Υ 650.
16) 3,165; 20,8 al. ed. Goodwin.
17) Z 476 sqq; cf. Her. 1,31 fin; Xen. comm. 2,2,10.
18) fr. 110 D.; cf. fr. 106 D.
19) Ol. 4,10,3 sqq; Pyth. 8,71 sq.
20) 5,104.
21) 5,105.
22) Aesch. suppl. 524 sqq; Soph. El. 67 sqq; Eur. Iph. T. 267 sqq; al.
23) inst. Cyri 5,2,12.
24) hymn. 3,136 sq.

praebeat, semper poetam esse. Imprimis fortunam et gratiam cupiunt homines, quos Ovidius[25]) habet.

Preces, ut sibi venia detur, possunt iudicare precationes fieri meliores honestioresque. Ut in quodam Simonidis[26]) carmine Danae ab love petit, ut sibi veniam det precum impudentium pro filio factarum. Quanta pietas religioque Herodoti sit, ex ea re cognosci potest, quo modo ab omnibus dis et heroibus veniam addubitandi, utrum Hercules deus sit an non, petat[27]). Idem Herodotus nobis narrat, quo modo vir quidam commendata bona avertens a dis veniam ignoscendi petat[28]). Ismene Sophoclea[29]) pro indulgentia supplicat, quod vi coerceatur. Immo vero homines, qui in tragoediis Euripidis sunt, veniam precantur et Neoptolemus ab Apolline, quod facti rationem ab eo postulaverit[30]), et Iphigenia a Diana, quod eam in errorem induxerit[31]). Hoc idem Strepsiades in "nubibus" Aristophanis[32]) a Mercurio petit, quod deos a Socrate adductus contempserit et Philocleo in "vespis" [33]) a dis veniam petit, quod hominem accusatum absolverit. Quod postremo loco dictum est, non tanti aestimare possumus quanti alias preces eiusdem modi. Apud Xenophontem[34]) homines, qui in matrem impie se gesserunt, admonentur, ut a dis veniam petant. Graviter dictum a Platone[35]) est, scelestis hominibus deos veniam non dare, si precibus deos placare conantur. Socrates[36]) autem a Cupidine veniam eius rei, quam antea dixerit, fecit. Item in fragmentis Menandri[37]) preces, per quas venia petitur, sunt, cum puella quaedam amans apud Theocritum[38]) a Diana veniam petat. Igitur semper homines mortales a dis, quos se offendisse putant, veniam scelerum petunt[39]).

2) bonum et virtutes.

Proxima parte ad preces venimus, quas homines primo raro ad deos miserunt, procedentibus autem temporibus magis magisque.

25) trist. 1,1,27 sqq; al.
26) fr. 13,19 sqq D.
27) 2,45 fin.
28) 6,86.
29) Ant. 65 sqq.
30) Andr. 49 sqq.
31) Iph. T. 1397 sqq.
32) 1476 sqq.
33) 999 sqq.
34) comm. 2,2,14.
35) leg. 10,905 D; 906 D.
36) Plat. Phaedr. 257 A.
37) fr. 321.
38) id. 27,63.
39) Ov. met. 1,386 sqq; Sen. Herc. f. 595 sqq; Petron 137; Mart. 7,60; Iuv. 6,535 sqq; al.

Unum solum locum, qui huius modi est, Homeri commemorare possumus. In Odyssea[1]) Aegyptius senex Ithacensis bonum optat ei, qui consilium salutis dare potest. Hymnorum[2]) autem compluribus locis homines ἐσθλά et εὐδαιμονίαν[3]) expetunt. Ad Iovem ipsum Theognis[4]) orans se convertit, ut mala finiat et plus boni mittat. Cum hymnis Homericis comparari possunt nonnulli versus, per quos Apollo oratur, ut petentibus honesta bonaque det[5]), et Diana, ut mala depellat[6]). Item Pindarus[7]) commemorat viros nonnullos a dis honestum solum petere et iuvenes id, quod possint (δυνατόν), exoptare. Aeschylus et Sophocles[8]) etiam homines inducunt, qui bonum cupiunt, et petunt, ut dei ad finem perducant, quod perfectum esse velint. Et chorus Phoenissarum Euripidis[9]) ad deos preces mittit, ut id faciant, si aliquid melius sit quam vincere, cum Aristophanes[10]) praeconem feminarum bona, quae feminis sint, orantem faciat. Primo et summo loco autem Xenophontis locus commemorandus est, ubi Socrates[11]) a dis petat, ut sibi id, quod bonum sit, praebeant, quod optime sciant[12]). Similiter mater bonum liberis exoptat[13]). Item Ischomachus uxorem non prius id, quod sibi duobus bonum et felicitas sit, docet, quam sacrificaverint et precati sint[14]). Quod enim dei omnia sciunt, homines supplicant, ut caelestes malas res avertant et bona faciant aut facultatem iustum bonumque agendi dent[15]). Et Aeschines[16]) orator iudicibus bonas res exorat, cum paene apud omnes oratores legamus omnibus rebus voluntatem deorum discrimen facere, nam, ut Demosthenes enuntiat, omnia bona dei ipsi dant[17]). Diogenes

1) β 33 sq.
2) 2,225; 11,5.
3) Beatus et diis amicus (εὐδαίμων et θεοῖς φίλος) poeta Theognis esse vult, nullamque aliam virtutem diligit (653 sq). cf. Iul. orat. 5,180.
4) 341 sqq.
5) 1 sqq.
6) 11 sqq.
7) Pyth. 11,50 b sq.
8) Aesch. choeph. 147 sqq; Ag. 973 sq; Soph. O. R. 594 sqq; Ai. 684 sqq; al.
9) v. 1200 sqq.
10) Thesm. 295 sqq.
11) comm. 1,3,2. In commentariis Xenophontis quaestio difficilior est, quod discernendum est inter ea, quae Socratis sint et ea, quae Xenophontis, quamquam omnia, quae ad externas res spectant, Xenophonti attribuenda esse putare possumus.
12) Qua de causa exempla precum stultarum singularum a Xenophonte allata ostendant verbum ἀγαθά externa dona fortunae valere, ut E. Bickel (Platonisches Gebetsleben. Arch. f. Gesch. d. Phil. NF. 14, Berlin 1908, p. 541) putat, ego quidem non intellego.
13) Xen. comm. 2,2,9 sq.
14) Xen. oec. 7,7 sq.
15) Xen. conv. 4,47; exp. Cyri 6,1,26.
16) orat. 2,87.
17) v. Otto Kuettler, Precationes quo modo oratores veteres usurpaverint in orationibus. Diss. Jena 1909.

Cynicus[18]) scit homines ea, quae bona videantur, exoptare, non quae re vera bona sint. Quod per se cognoscitur, in operibus Platonis et Ps.-Platonis multas preces[19]), quae ad bonum solum spectant invenimus, ut etiam Lacedaemonii res bonas et pulchras exoptant[20]). Mala autem dei avertant! Si homines bona agere cupiunt, exoptant etiam, ut boni fiant. Si virtus doceri potest, homines aliquid, quod nesciunt, petunt[21]). Pro amicis id, ut Plato[22]) pulchre dicit, quod ipsi orant, supplicamus; etiam Socrates[23]) amicis pulchrum exoptat. Theophrastus[24]) secundo loco bonum, quod homines consequi volunt, qua de causa deos colunt, nominat, cum Isyllus[25]) id, quod Graeci καλοκἀγαθία nominant, exoptat. Etiam nonnullos vetustiores poetas Romanorum hoc capite afferre possumus, ut in comoediis Plauti[26]) id, quod bono proximum est et quod malo remotissimum est, sive sibi sive aliis cupitur. Martialis[27]) fratribus duobus, qui se mutuo amore amant, sortem eandem, quam Castor et Pollux habuerint, cupit, qui uterque sibi primo mortem optavit. Valerius Maximus[28]) putat bona externa expetenda non esse, quod divitiae honores coniugia splendida regnaque iam multos homines miseros fecerint. Deos solos, quid bonum hominibus sit, scire. Christiani[29]) autem voluntatem dei quasi suam cognoscunt, quam sibi deus det[30]), qua de re homines bona accipiant. Item homines regnum dei celeriter venire cupiunt[31]) et cotidie panem in Christo postulant[32]). Ea sola, quae re vera divina sunt, cupiunt[33]); multi autem ea bona putant,

18) Diog. Laert. 6,2,42; Iul. orat. 6,199 B.
19) conv. 205 A; epin. 980 B; Alc. II 143 A. De Phaedr. 279 B E. Bickel (l. c. p. 535 sqq) aliter sentit. Sane in precatione optationem honestarum rerum cognosci posse, sed Platonem contentum honesta purgatione non esse (l. c. p. 551). Quibus precibus vitam, quam sibi proposuerit, optandam esse ut etiam in Solonis fragmento primo. Optationes spectare id, ad quod homines nati sint. Item preces honestas habitas in dialogo Alc. II (148 C) Ps.-Platonis se habere (l. c. p. 544 sq). Cum ea opinione ego quidem consentire non possum, neque enim intellego, qua de causa bonum et honestum in vita hominum propositum exoptari non possit. Haec pulchra precatio dona externa non contemnit, sed finibus arcet et pulchritudinem animi superiorem facit.
20) Ps.-Plat. Alc. II 148 C sq; Her. 1,31 fin; Cic. Tusc. 1,113 sq; Plut. cons. Apoll. 14; inst. Lac. 27.
21) Ps.-Plat. Eryx. 398 D sq.
22) leg. 687 D.
23) Phaedr. 279 B.
24) Porph. abst. 2,24.
25) B, v. 1 sqq D.
26) capt. 271 sq; Poen. 208.
27) 1,36.
28) 7,2,1 ext.
29) v. E. v. d. Goltz, Das Gebet in d. ältesten Christenheit. Leipzig 1901.
30) Tert. orat. 4.
31) Tert. orat. 5; Greg. Nyss. orat. 3,737 A.
32) Tert. orat. 6; Orig. orat. 27,1.
33) Orig. c. Cels. 7,44 fin.

quae iis videntur, sed non sunt[34]): qui stulti animo sano student, quod dolent se ea, quae cupiunt, non accipere[35]).

Virtutem ipsam coniunctam cum divitiis, homines in hymnis Homericis[36]) exoptant, cum Theognis et lyra et saltatione et carminibus laetetur virtutem sapientiamque possidens[37]), et Solo[38]) virtutem tanti aestimet, ut eam divitiis permutare non cogitet. Hoc modo etiam Timotheus[39]) admonet, ut pudor (αἰδώς) comes virtutis bellicae colatur. Paucissimos locos poetae tragici praebent. Cum Electra Aeschylea[40]) in animo habeat:

„αὐτῇ τέ μοι δὸς σωφρονεστέραν πολὺ
μητρὸς γενέσθαι χεῖρά τ' εὐσεβεστέραν,"

Amphitryo Euripideus[41]) etiam melior esse vult Iove. In Aristotelis hymno[42]), quo Virtus cantatur, homines bonum virtutemque expetunt; beatitudinem autem homines ipsius causa appetunt[43]). Vel alium locum Plautinum[44]) respiciamus, ex quo cognoscere possumus, quanti virtus aestimetur:

"virtus praemium est optumum:
virtus omnibus rebus anteit profecto:
libertas, salus, vita, res et parentes, patria et prognati
tutantur, servantur:
virtus omnia in sese habet, omnia adsunt bona quem
penest virtus."

Aut poeta tragicus incertus[45]) dicit:

"nam sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam
petit."

Cotta Academicus[46]) philosophus apud Ciceronem queritur, quod nemo virtutem a dis accipi putet et homines externa commoda dis assignent. In vita Apollonii Philostratus[47]) monet, ut ad deos homines eant et, si eis virtus cordi sit, precentur quid velint.

Ut supra cognovimus philosophos docuisse homines animum et mentem bonam optare, ita hoc loco nonnulla exempla videre possumus, quem ad modum homines philosophos sequantur.

---

34) Clem. Alex. strom 7,7,44.
35) Greg. Nyss. orat. 1,718 D. Amentes homines modo excogitant, quo modo fortunam splendidam accipiant. cf. 1,717 A.
36) 15,9; 20,8; al.
37) 789 sqq.
38) fr. 4,9 sqq D.; Theogn. 315 sqq.
39) fr. 6 b D.
40) choeph. 140 sq.
41) Herc. 339 sqq.
42) fr. 5 D.
43) Eth. Nic. 1,5,1097 B.
44) Amph. 648 sqq; cf. Lucil. 1326 sqq.
45) inc. trag. 30.
46) nat. deor. 3,86 sq.
47) 1,12,1.

Xenophon Antisthenem pauperem ostendit, qui divitiis, quas habet in animo et ingenio, gloriatur[48]). At virum Syracusanum, qui stultos homines, qui praestigias spectant, irridet, Philippus audit precantem, ut fructus proveniant neque animi hominum[49]). Critias[50]) sibi magnum animum donandi (id est μεγαλοφροσύνη) Cimonis cupit. Facile videre possumus animi honesti castique Hipponactem[51]) non esse, sed suae utilitatis studiosum multos versus, quos accepimus, fecisse; ut etiam Lucilius[52]) dicit:

"sic amici quaerunt animum, rem parasiti ac ditias."

Plinius minor[53]) Caesari, ut di animum servent, orat, cum Petronius[54]) homines, qui singulariter mentem bonam et valetudinem optant, habeat. Denique locum epistulae cuiusdam Senecae[55]) nomino, quo vota parentum, quae copiam modo effecerunt, repudiat, ipse autem homini facultatem sui ipsius dare in animo habet, ut mens tandem certa sit et veris bonis gaudeat.

In prooemio operum dierumque ab Iove Hesiodus petit, ut se audiat et iusto iudicio certaminis finem faciat. Veritatem igitur iustitiamque esse vult Hesiodus his verbis, quae preces esse videntur. Fragmentum quoddam[56]), quod Soloni iudicio multorum doctorum virorum abdicandum est, imploratio Iovis est ad leges instituendas. Sed etiam unum fragmentum ex carminibus melicis choricis adespotis[57]) dicendum est, quo poeta Parcas orat, ut mittant leges bonas iustitiam pacemque. Homines Ovidii[58]) iudicium iustum optant et Apollonius[59]) sibi primam petit iustitiam.

Prudentia in quodam carmine populari[60]) ab Aesculapio exoptatur. Felices et honesti fiunt ii, qui ius iurandum conservant et verum dicunt[61]). Quo modo dei viris, qui saluti rei publicae consulunt, sapientiam et animum bonum praebeant atque semper homines honestos mittant[62])! Ad utilitatem autem Atheniensium Thebani nunquam prudentes fiant neque iis, qui saluti sunt, gratias

48) conv. 4,34.
49) conv. 4,55 sqq.
50) fr. 6 D.
51) v. O. Crusius, Zur Charakteristik d. antiken Jambographen. Sitzber. Münch. Ak. 1906, p. 379 sq.
52) v. 717.
53) paneg. 28,6.
54) 61; 88. Coniuncta verba: mens et valetudo bona etiam in aliis locis: Sen. epist. 10,4; Hor. carm. 1,31,17 sqq; Iuv. 10,356.
55) epist. 32,4 sq. Aesopus (fab. 33) omnibus rebus pulchritudinem animi virtutisque praefert.
56) fr. 28 D.
57) fr. 5 D.
58) fast. 4,317 sqq.
59) Philostr. v. A. 4,40,2.
60) 47,21 sqq D.
61) Demosth. 24,151; 54,41.
62) Demosth. orat. 18,1 sqq; 8,324; 20,109; 25,31; epist. 1,1.

habeant, Athenienses tamen suos putent fide dignos et firmos viros[63])! In hymno ad Iovem Cleanthes[64]) supplicat, ut homines ab animi caecitate liberentur et prudentiam deorum accipiant ad deos colendos.

Multo diversum exoptat Aristophanis[65]) Strepsiades, ut omnes ceteros verba facientes superet, id est ut ius perverse interpretari et illos, quibus debet, defraudare possit. Aut homines a dis petunt, ut dicendo valeant, quod nobis Isocrates[66]) narrat. Lycurgus[67]) optat, ut dei se digne accusantem faciant et Aeschines[68]) a dis petit, ut sibi favorem dicendi, quo modo velit, tribuant, cum Dio Chrysostomus[69]) petat, ut deus sibi verba digna det.

Xenophon[70]) cum aliquando sacrificans certior factus esset filium fortiter pugnantem mortuum esse, se nunquam petivisse, ut filius immortalis fieret, sed ut probus ac patriae amans esset, dixisse fertur.

Homines semper idem exoptant, voluptates et commoda sua augeri, cum aliis rebus paulum studeant. Ita etiam in hoc capite maxime eos homines precantes, quos monentes, ut homines bonum et similia peterent, cognovimus, videmus, cum pauci modo aut personae ab iis inducti res meliores exoptent.

3) homines diversas res optant et optationes commutant.

Ultimo capite videbimus, quo modo homines optationes commutent, prout condiciones eorum esse videntur, ut iam Hesiodus[1]) eum hominem, qui promptis rebus relictis novas et incertas expetit, insanum putat. Tales homines diversas res postulantes, quorum animi rebus praesentibus saepe flectuntur, Solo[2]) despicit. Aegrotus sanitatem, ignavus fortitudinem, deformis pulchritudinem, pauper divitias adipisci vult. Homines soli, qui amentes nominari possunt, aliquid earum rerum, quas Solo in elegia prima enumerat, agunt sperantque; Solo autem, ut Fr. Wehrli[3]) recte cognovit, sententiam illam minus exponit, — quo modo Semonides[4]) deos ex libidine in orbe terrarum regnare

63) Demosth. orat. 20,25,109; Dinarch. orat. 1,36.
64) fr. 537,32 sqq v. Arn.
65) nub. 429 sqq.
66) orat. 15,246.
67) orat. 1,1.
68) orat. 1,116.
69) 38,9.
70) Plut. cons. Apoll. 33.
1) fr. 219 (243) Rz.; cf. Lucan. fr. 9 Morel.
2) fr. 1,35 sqq D.
3) v. Λάθε βιώσας. Studien z. ältesten Ethik bei d. Griechen. Leipzig-Berlin 1931, p. 11 sqq.
4) fr. 1,6 sqq; 29,6 sqq D.

praedicat — ut homines conari debeant deos effugere, quod fieri possit, nisi ullas optationes habeant; et initio et fine autem dicit omnes sortes poenae aut praemio esse. Nam homines sibi ipsis culpam calamitatis attribuere debent. Haud scio an Solo hanc digressionem etiam ad divitias fecerit, quod a divitiis proficiscitur.

In fragmento nono Heracliti[5]) arbitrium permitti bona eligendi incertum non est. Id quod eligitur, est res vilissima, sed quae ventri conveniat. Extrema in parte sententiam clare expressam, quae prima plane ad quaestionem nobis propositam adducit, commemoro[6]):

„ἀνθρώποις γίνεσθαι ὁκόσα θέλουσιν οὐκ ἄμεινον."

Quibus dictis Heraclitus cognoscit infirmos hominum animos, qui rectum optare non possunt. Haud scio an primus, quotquot nobis quidem cogniti sint, irrideat homines insane agentes, ut fortunam, quae iis secunda esse videtur, assequantur.

Sed plurima exempla illius quaestionis ex fabulis Aesopi comparare possumus, ut bestiae, quae, quid homines agant, in nostro conspectu ponunt, sortibus suis non contentae alias exoptant, aut dominum alium, quem ranae et asinus, quibus dominus semper displicet, cupiunt[7]), aut omnino faciem, vocem, facultatem aliarum bestiarum, quae sibi iucundiores esse videntur[8]). Quae omnia iis nunquam prosunt. Mustela quoque amore iuvenis commota virgo fieri vult[9]). Insuper duas alias fabulas hoc loco commemorare possum. Primum fabulam[10]), in qua senex quidem morte advocata celeriter sibi vitam cupit; deinde[11]) in qua custos boum taurum vovet, si vitulum amissum reperiat; illo in unguibus leonis reperto votum obliviscitur et id solum agit, ut leonem effugere possit.

Etiam Herodotum afferre possumus, qui putat omnes populos mores suos reposcere[12]) et unumquemque, si omnes homines mala contulerint, libenter animo non invito sua eximere[13]). Quod Herodotus haec dicit, vitia hominum insectatur, quo modo homines saepe id exoptent, quod ab iis plane abest.

Filiae Danai apud Aeschylum[14]) preces deminuunt et sentiunt, si deus se non plane audire possit, eum audaciam sceleris quidem

---

5) v. L. Radermacher, Die Wahl der Lebensgüter, Wiener Studien 47,1929, p. 83 et O. Weinreich, Zur Wahl d. Lebensgüter. Wiener Studien 48, 1930, p. 199.
6) fr. 110 D.
7) 76; 76 b; 329; Phaedrus 1,2.
8) 186; 170; 206; 337; 365. Phaedrus 1,3,24; 3,18.
9) 88.
10) 90; 90b.
11) 83; Babrius 23.
12) 3,38.
13) 7,152; cf. Plut. cons. Apoll. 9; Const. Man 4, 13—26.
14) suppl. 77 sqq.

frangere. Haud scio an hoc loco optationes Orestis et Electrae commemorare possim, per quas alter patrem apud Troiam necatum esse malit, altera a patre inimicos interfectos esse[15]). Tamen postremo homines res petitas eventum non habere malunt[16]). Phaedra infelix Euripidis[17]) et in montibus venari et in curriculo equos agitare cupit. Eligendi arbitrium autem dis homines permittunt[18]), etiamsi aures deorum apud iuvenes clausas esse opus est[19]).

In epistula quadam ad Damagetum scripta Ps.-Hippocrates[20]) multa exempla dat, quanto opere homines nonnullas res detestentur et rursus cupiant. Semper semperque amentes alienas res appetunt, cum autem habent, repudiant. Quae cum ita sint, homines cuncta in suam cupiditatem pervertunt.

Demosthenes[21]) putat homines contentos esse, si omnibus rebus abundant petentes, ut alia bona, quae iis non sint, obtineant. Simile exemplum atque in locis Herodoti supra nominatis invenimus in scriptis ignoti sophistae, quae δισσοὶ λόγοι aut διαλέξεις[22]) nominantur. Si homines omnia bona conferant et omnia mala, quae videantur, auferant, nullas res superesse. Ita igitur opiniones, quid bonum, quid malum sit, commutantur.

Hoc loco etiam exemplum, quod in fabulis invenitur, afferam, quas optationes Theseus, quas, ut expeteret, pater Neptunus ei permisit, ad deum maris mittat. Praeter alios locos has preces tres legimus in scholiis ad Eur. Hipp. 46[23]): "μηδὲν μάταιον: μίαν μὲν ᾐτήσατο τὸ ἀνελθεῖν ἐξ Ἅιδου. δευτέραν ἐκ λαβυρίνθου, τρίτην <τὸ> τῷ Ἱππολύτῳ < θάνατον πεμφθῆναι>."
Prima optatio, quo modo Theseus a patre audiatur, per paeanem Bacchylidis[24]) clarius illustratur. Omnes preces a deo tam diligenter persolvuntur, ut Theseus precando filium amittat, cum iratus in caput eius mortem detestetur[25]). Quae cum ita sint, a patre δῶρα πικρά[26]) accepit, quod occasione cum ter tum tertium precandi tam male usus est. Qua ex re cognoscendum est, homines, si occasio precandi data est, favore deorum dignos se non praestare.

---

15) choeph. 345 sqq; 363 sqq.
16) Aesch. Ag. 997 sqq.
17) Hipp. 215 sqq; 228 sqq.
18) Eur. Phoen. 1200 sqq.
19) Eur. Hipp. 114 sqq.
20) epist. 17, 28, 30, 40 sq Hercher.
21) orat. 20,25.
22) 18 et 19, Diels, Vors. II, p. 337 sq.
23) cf. schol. ad v. 887 et 1316.
24) 16 (17), 61 sqq.
25) Eur. Hipp. 43 sqq; 887 sqq; 1169 sqq; 1315 sqq.
26) Eur. Hipp. 1411.

In operibus Platoni ascriptis hominum optationes, quo modo commutentur, legere possumus[27]). Brevi tempore homines optata exsecrantur, velut aut imperatores imperare nolunt aut homines nullos liberos peperisse malunt. Quae cum ita sint, homines caveant, ne aliquid, quod accepisse postea eos paenitet, exoptent! Homines autem imprudentes eis rebus, de quibus mox lamentantur, student, et mercennarii et artifices et nautae et agricolae et viri, qui rem publicam administrant. Unum solum locum ex operibus sinceris philosophi[28]) invenimus, qui ad nostram quaestionem spectat. Sic etiam Aristoteles opiniones, quae de felicitate sunt, saepe commutari[29]) et fortuna mutabili eosdem homines modo felices modo infelices esse cognoscit[30]). Imprimis iuvenes expetunt aliquid tum vehementer tum neglegenter, quorum optationes tenues variantur[31]).

Menander nobis fabulam lepidam narrat[32]): si hominibus a dis arbitrium eligendi permitteretur, quid post mortem fierent, aut bestiae, quarum numerum ad eligendum nominat, aut homines, illi omnes contenti animalibus ceteris praeter homines ipsos essent, quod ii male viverent.

Homines ex cupiditatibus in cupiditates errant, aut ut Cleanthes[33]) bene dicit, alteri honorem et lucrum appetunt, alteri otium et opera dulcia corporis exoptant tantopere, ut postremo eis contrariae res fiant; et Rhianus[34]) in incerto poemate perversitates hominum nobis ostendit. Nam eo tempore, quo bona homines amiserunt, cognoscunt, ut Plautus personas loquentes facit[35]). Si facultas praeteriit, sero repetitur[36]). Sed etiam homines tantisper boni sunt, ubi eas res, quas cupiunt, acceperunt[37]).

Horatius, quod nemo sorte sua contentus sit, ut miles esse mercator, iuris consultor esse rusticus mavult, graviter vituperat[38]). Item urbanus rus venire cupit, ruri autem rursus urbem balnea ludosque cupit[39]). Velut Davus[40]) servus Horatio dicit, eum for-

27) Alc. II 142 A sq; 142 D; 148 B; Axioch. 368 A sqq.
28) rep. 10,619 C.
29) Eth. Nic. 1,2,1095 A.
30) Eth. Nic. 1,11,1100 B.
31) Rhet. 2,12,1389 A.
32) fr. 223.
33) fr. 537,26 sqq v. Arn.
34) Stob. 3,4,33, p. 227 W.-H.
35) capt. 142 sqq. cf. Aesop. 233; Phaedr. 1,4.
36) Plaut. aul. 249. Multae preces, quae impetratae sunt, posterioribus temporibus rescindi non possunt (capt. 995).
37) Plaut. capt. 232.
38) sat. 1,1,1 sqq; 14 sqq. cf. Lucil. 557 sqq; Max. Tyr. diss. 21. Poeta ipse autem pauperrimus bonorum esse cupit (Hor. sat. 1,1,78 sq; 2,6,8 sqq).
39) epist. 1,14,14 sq, quo modo etiam Horatius ipse optationes commutet (cf. sat. 2,7,28 sq).
40) sat. 2,7,22 sqq.

tunam et mores antiquae plebis laudare, accepta autem ei placitura non esse. Contra Horatius, si ei vita denuo vivenda sit, novos alios parentes, qui nobiliores sint, non cupit[41]. Omnes res, quae populo saluti esse possunt, poetae a dis petunt, et opes et pacem et fruges et mores bonos atque morbos periculaque avertunt atque deos carminibus placant[42]. Et legamus Persium[43]:

"mille hominum species et rerum discolor usus,
velle suum cuique est, nec voto vivitur uno."

Tam amentes saepe homines sunt, ut eas res, quae oblatas aspernati sunt, petant[44]. Quibuscum aliae res coniunctae sunt, ut nemini, qui aliena bona respicit, sua placeant[45]. Quamquam homines divitias a dis petunt, illis acceptis pauperiores vivunt[46]; aut postquam pro amico aegroto quodam vota facta sunt, nova vota fiunt, ut antiqua irrita sint[47]. Quamquam ex deo, cuius voluntas concuti non potest, homines pendent, novas res, quas apud alios vident, semper exorant, cum omnes sortes aequo animo ferendae sint. Etiamsi omnia hominibus proposita sunt, tamen Seneca[48] precibus aliquid impetrari posse dicit, quod deus multas res dubias fecerit, quae precando converti possint. Tales preces autem iam cum consilio providentiae coniunctae sunt; et philosophus postremo omnia fieri debere, quae constituta sint, etiam sine precando, putat. Homines etiam libertatem, quam fortasse ut servi tempore non longo praeterito acceperint, cum obsequio commutare Epictetus[49] explicat. Prout homines in aliis condicionibus sunt, ita alias optationes habent, quam sententiam supra iam saepe auditam denique ex Cassiano legimus[50].

---

41) sat. 1,6,93 sqq.
42) Hor. epist. 2,1,134 sqq; cf. Orellium ad carm. saec. 29 sqq: "Veteres in precationum formulis haec prima felicitatis momenta, frugum ubertatem, feturam gregum, matronarum fecunditatem plerumque coniungunt" (Aesch. Eum. 905; Soph. O. R. 171; Aristoph. pax 1320; Herod. 3,68; Tib. 2,5,91).
43) 5,52 sq.
44) Sen. epist. 95,2.
45) Sen. de ira 3,31,1.
46) Mart. 1,103; 4,51.
47) Mart. 12,90.
48) nat. quaest. 2,37,2; v. Herm. Steiner, Theodizee bei Seneca. Diss. Erlangen 1914. p. 57.
49) diss. 4,1,1 sqq.
50) conl. 9,8,2.

Conclusio.

Si carmina Homeri respicimus et mente agitamus, quem ad modum poeta aut homines ipsi de precibus cogitaverint, lucrum non nimium facere possumus. Ex verbis precationum ipsis aut precibus adhibitis sententias eorum perspicere fortasse possumus. Ut preces ipsae in carminibus Homeri simplices et naturales sunt, et maxime in rebus impetrandis, quae ad victum cultumque necessariae sunt, consistunt, ita etiam hominum actiones voluntatesque, quoad ad mores pertinent. Cum homines non intendant fallaces preces ad deos mittere, cupiditatem rerum externarum et humanarum celare neque possunt neque volunt. Quod reliquum sit, ut hominem precantem Iliadis in deos quasi liberum virum se gerere, ita Odysseae modestum esse scimus.

Quo modo Hesiodus ipse eiusque aequales de precibus senserint, cognoscere non possumus, etiamsi in carmine de "operibus et diebus" eum ipsum paululum novimus. Quid autem poetae tragici ipsi de rebus singulis petendis sentiant, cognoscere difficilius est quam apud poetas lyricos. Sed tamen sumere possumus sententias, quas personae tragoediarum dicunt, cum poetis consentire, etiamsi saepe res diversae, quae discrepant, expetuntur. De precibus ipsis tragici poetae raro loquuntur, nonnullis autem locis preces, quae neque audiantur neque auxilio sint, aspernantur.

Quae cum omnia videamus, homines omnibus temporibus divitias exoptant atque, ut eis rebus uti possint, valetudinem libertatem pacemque concupiscunt. Ut ea autem omnia accipiant, eis opus est ab hominibus se defendere posse; qua de causa in pugnis gloriam sibi parere cupiunt. Maxime in comoediis homines, quales sint, cognoscere possumus, quantopere semper, ut sibi aliquod commodum sit, in animo habeant. Haud scio an ea de causa tot gratiae dis actae in comoediis, in quibus etsi latine scriptis tamen opera ingenii Graecorum cognosci possunt, inveniantur. Nihil autem novi dicendum est, quales preces aut ceteri poetae Romanorum aut homines, quos illi inducunt, ad deos mittant.

Socrates primus homines admonet ea re, quod ipse hoc modo se gerit, ut homines simpliciter bonum a dis petant. Quo modo philosophi antiqui, qui ante Socratem vixerunt, de optando hominum cogitaverint, tamen ex parvis reliquiis aliquid cognoscere

possumus, quamquam rationes vivendi investigant et homines ipsos eaque, quae faciunt, neglegunt. A Pythagora ipso iam postulari videtur, ut homines honeste id, quod eis bonum sit, a dis petant. Hoc modo omnes philosophi et multi poetae homines docere voluerunt, quae res maxime ex disputationibus amplis, quas supra primo loco tractavimus, cognosci potest. Atque quamquam difficulter dicendum est, quid Seneca de precibus, quas permiserit et quas vetuerit, senserit, hunc philosophum mentem bonam puramque plurimi aestimare certum est, quam rem ex ordine, quo virtutes enumerat, cognoscere possumus.

Etsi homines non bona et honesta ipsa cupiunt et saepe aliquid exspectant optantque, quod effici non potest, — imprimis Hesiodus et Plato multis locis dicunt, voluntatem dei liberam esse neque ab hominibus cogi posse — tamen videmus homines studere, ut honestas res faciant, et paulatim preces eorum meliores fieri. Imprimis superbia verberatur, quod causa omnium malorum sit! Homines invidiam deorum timeant et sorte sua contenti sint. Etiamsi multi loci discrepare videntur, aliqua ex parte cognoscere possumus, quid homines de rebus, quas tractavimus, senserint.

Quae cum ita sint, iam antiquis temporibus eadem praecepta precandi fuisse, quae homines christiani sibi vindicant, videmus, quamquam ab optimis modo viris, philosophis, nominantur. Omnibus temporibus homines, quod animus vult, expetunt aut vi comparare conantur. Igitur ex precibus animi hominum, quo modo se habeant, cognosci possunt. Cum carmen magicum cogere velit, preces ipsae modestae sunt, quod homines se inferiores deis esse cognoverunt. Utrumque genus autem diligenter separandum non est.

Si totam dissertationem respiciamus et historiam precum, quid philosophi senserint et quid homines ipsi petiverint, nos certiores fieri videmus, quae genera sint, quae causae condiciones finesque. Ex historia formas, ritus, animum, argumentum, fidemque ipsam discimus. In precibus homines, quo modo deos timeant et admirentur iisque gratias agant, apparent. Atque semper optationes has ab optimo quoque eligi atque proponi audimus, ut possideat mentem sanam et corpus sanum, quod optare per verba ἀρετή et ὄλβος concrescit.

Vita.

Natus sum Henricus Braune Detmoldiae, in oppido Lippico, id. Nov. 1908 patre Guilelmo, matre Alma e gente Koch; fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis per tres annos imbutus anno 1918 gymnasium Leopoldinum patriae meae frequentavi. Ineunte vere 1927 maturitatis testimonio instructus numero civium universitatis Heidelbergensis adscriptus sum et studiis philologicis classicis et historicis me dedi. Unde aestate anni 1929 in universitatem Marpurgensem me contuli. Ab hieme 1930/31 usque ad hiemem 1931/32 valetudinis infirmae causa studiis dare non potui.

Docuerunt me viri doctissimi

Heidelbergenses: Andreas, Curtius, Fehrle, Hampe, Hoffmann, Holborn, Meister, Regenbogen, Rickert, Schramm, Täubler.

Marpurgenses: Ensslin, Frank, Friedländer, Häpke †, Jacobsohn †, Jakobsthal, Lommatzsch, Maass †, Mahnke, Mommsen, von Premerstein †, Rohde, Stengel, Zechlin.

Per quattuor semestria interfui proseminario philologico classico, per bis senos menses fui seminarii philologici Marpurgensis sodalis ordinarius. Praeterea interfui et proseminariis et seminariis historicis et archaeologicis.

Omnibus praeceptoribus de me bene meritis semper gratias habebo maximas, praecipue Ernesto Lommatzsch, qui hac in commentatione conscribenda semper me adiuvit consilio benignissimo.